






BARTHOLIN, T.

Mu/-/-

~~/0-10~~

0-10-

B.

THOMÆ BARTHOLINI

de

MEDICIS POETIS

Dissertatio.





HAFNIÆ,
Prostat apud DANIELEM PAULLI
Bibliopolam Regium.

Literis HENRICI GÖDIANI, Reg. &
Acad. Typographi.
M DC LXIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

IN

Excellentissimi Viri

D. THOMÆ BARTHOLINI

Dissertationem

de

MEDICIS POETIS.

Carmina per Phœbum Medicis, Medicina Poëtis
Convenit, & nomen Phœbus utroqve refert.
Per BARTHOLINUM firmatur copula, Vates,
Ut parili gressu, qviq; medentur, eant.
Ergo Parnassum meritò finxere bicollem:
Qvisqve suo, *Medicus* statq; *Poëta* loco.

f. Hafniæ

JAC. HENR. PAULLI
Sim. F.
Historiographus Regius.

OMISSA
ſuo loco inſerenda.

Pag. 101. *lin.pen. adde*: Refert *Plinius Valerianus* Medicus de R. Med. lib. 3. c. 57. & lib. 4. c. 38. Theriacam ap. inſulam Coum in templo Æſculapii inciſam fuiſſe in lapide ac verſibus dedicatam 107, 19 *adde*: Evax Rex Arabum ad Neronem de ſimplicium effectibus ſcripſit, *Plinio* narrante lib. 25. c. 2. Ejuſdem de Gemmis ſcriptum, olim à Poëta qvodam non infeliciter carmine redditum ex Bibliotheca *Henrici Rantzovii* prodiit Lipſiæ 1585. 109, 1. *adde*: Medicus celebratur *Plinio* lib. 30. c. 4. 117, 16. *adde*: *Gaudentio Merulæ* lib. 4. Memorab. c. 27. ſi credimus, *Æmilii Macri* qvi putatur de Herbarum Viribus liber, eſt *Odoboni* Medici.

POE-

TH. BARTHOLINI
De
MEDICIS POETIS
Diſſertatiuncula.

Poëſeos ſtudium non alios magis qvàm Medicos afficit, ſive utile expendas ſive jucundum. Utroq; enim nomine ſe ad hoc mortalium genus demittunt apes imitati, qvi in horto pulcros flores ſectantur & dulcedine proficuos. Ne igitur inutili vel damnoſo opere occupatos clamet invidia vel imperitia, ſi qvando ad has ſtudiorum amœnitates deflectant, placet utriusq; cauſam agere, Mediciſq; Poëtas commendare vel legendi ſtudio vel imitandi.

Cæterum ſi in Republica Platonis verſaremur, exſilium paratum nobis priùs foret qvàm defenſio. Ita qvidem eam traducit vulgus. Sed immeritò. Neq; enim alii exinde *Dialog*. 2. *de Rep*. eje-

cti, qvàm Deorum pugnas, vincula Junoni injecta, Vulcanum coelo à Patre dejectum magno juventutis detrimento scribentes. *Homerus* sanè, honorificè potiùs demissus ab ejus Republica, vel ut major civis qvàm ut imperitis civibus prodesse posset, sicut censet *Ger. Jo. Vossius de Nat. Poës. c. 8. §. 5.* Ideoq; unctus & lana coronatus fuit, ut homo Divinus. Dis enim hic honor habitus. Non propter Poëtarum mollitiem, qvam lanea corona significat, qvemadmodum contra *Andr. Schottum* eruditè probat *Jo. Georg. Grævius Lect. Hesiod. c. 24.* Tanto qvippe in pretio *Platoni* fuere Poëtæ, ut illorum adminiculis ardua qvævis peragenda judicârit *Dial. de Amicit.* qvia nobis tanqvam Patres atq; Duces sapientiæ sunt. Hos seqvi vel imitari tutum Medicis & gloriosum, non libertate merâ, eaq; lege, qva Poëtæ ea sibi licere putant, qvæ videntur, ut *Lucianus* jocatur *Qvom. Conscrib. Hist.* sed certi ponderis certæq; mensuræ regulâ, qvam in carmine illi, hi sibi in remediorum formulis præscribunt, singulisq; pro

mo-

modulo vel perſonarum vel morbi admetiuntur. Numerus ubiq; utramq; paginam facit apud utrosq;. Nam, ut rectè *Ariſtides Qvintil.* l. 3. de Muſica ex verſione *Morelli* loqvitur; ars Medica omnia fermè per numeros & palpitationum perceptiones, & periodorum typorum proportiones repræſentat, qvarum imaginum aliæ conſonis reſpondent rationibus, tum duplo, ut febris tertianæ, tum epitrito, ut febris qvartanæ. Non fumum Poëticum venamur, ſed Junonem, ſed Palladem, ſed per omnia Poëtarum ingenia diſperſi, Æſculapii fata & honores, certamenq; cum Hercule, qvo immortalitate ſuperiores, cum voluptate ſectamur. Non aliis jucundius utiliusve ocia noſtra interpungimus, laſſum viſitatione ægrorum animum corpusq; refecturi.

Ne fabulis ſolis nos capi dicas, ex ſingulis qvædam libabimus, facem Medicinæ prælucentia. Prodit primò *Homerus*, ut Poëtarum, ita fabularum primus *Iliad.* λ. Hecamede Nectoris pellex ſaucio Machaoni medelæ potionem porri-

git, cui vinum Pramnium infundit, præterea atterit caſeum caprinum æneo qvodam inſtrumento, farinam caſeo miſcet, & cepe obſonii loco apponit. Hoc *Plato Dial. de Fur. Poët.* medicinæ artis judicium vocat. Sed remedii genus ex militiæ rudioris neceſſitate deſumptum, meretur non ab autore, ſed Machaone liberato pretium, qvem paſtorem populorum, digno Medicis titulo, appellat non ſemel *Homerus* eodem libro *Iliad.* XI. Qvid verò Machaoni ſagittâ dextrum humerum vulnerato, potio iſta profuerit, non ſatis liqvet. Additur tamen, aridam illi reliqvisq; ſitim fuiſſe exemptam. Vulneraria igitur potio eſt credenda, à pulchricoma Hecamede propinata, & ab ipſo Machaone approbata cùm pretioſiora alia ad manus non eſſent. Ita ad exemplum fortè, vel propriâ experientiâ edocti villici noſtri ad ſedandam ſitim caſeum cereviſiæ miſcent. Vulneribus etiam caſeum commendant pleriq; ex vulgo, ſed ferè cataplaſmatis formâ externè impoſitum. *Galeni* l. X. *ſimpl. Med.* Fac. eſt experientia, caſeum vul-

nus

nus glutinare, inprimis recentem ſeu mollem, qvia repercutiendi vim obtinet & leviter refrigerat. Similia tradit *Paulus Ægineta* l. 7. c. 3. Hinc adeò Veneti ex caſeo glutinum vulneribus parare ſolent. Tumoribus qvoq; mederi ſuperimpoſitum *Theodorus* Medicus in *Diæta c.* XI. ſcribit. Caprinus autem caſeus, qvia craſſior ſicciorq́; huic ſcopo magis inſervit. Nam ex *Ariſtotele* l. 3. Hiſt. Animal. c. 20. caprinum lac citius coit & ſpiſſatur, non modò qvod plurimum habet caſeum, ſed qvod ſqvallidiorem. Farinæ in vulnerum conſolidatione primas deferunt partes, experti rerum. Triticeam Hecamedis fuiſſe ſuſpicor, qvia alba vocatur. Eaq́; internè in morſu cantharidum pultis more cocta commendatur *Scribonio Largo* Comp. 189. qvanqvam noſtrorum qvoq; fide ſiliginis farina cum melle paria faciat, & hordeacea in ulceribus *Catoni* R. R. c. 157. probetur, ſed externè. In Medicina Danorum Domeſtica Diſſ. 4. vulgi ſecretum propalavi in apoſtemate maturando, farinam nempe triticeam cum

frustulo cepæ & melle impositam. Cepam certè & mel recens primum hospitibus suis apposuisse Hecamede dicitur apud *Homerum*. Vinum Pramnium, qvod crassum est, ac multum alit, non tam leniendæ sitis gratia datum, qvam ut corpus nutriret; de qvo videndus *Athenæus* l. *Deipn.* n. 8. Possem per alia non pauca *Homeri* excurrere loca, Medici lectione digna, nisi ad alios properandum esset. Parcior tamen in Græcorum lectione ero, ex qvorum fonte & cerebro pleraq; fabulæ defluxerunt, ut Romam contendam. *Hesiodum* illi secundum, mollissima dulcedine carminis memorabilem, præterire fas non est, qvem vel ob laurum à Musis oblatam amant Medici, ut illa degustata vates prodeant, & futura in morbis prædicent. Ars verò ista prædicendi qvanqvam ad Prognosin in morbis oppidò necessaria foret Medico, dubito tamen an à lauru Hesiodi hauriatur. Jactat illam ipse Ascræus, sed vel invidia occultavit, vel non habuit. Neq; enim de aëre prædictiones vatem faciunt. *Lucianus* in Diss. cum Hesiodo,

absq;

absq; aqva Castalia, lauro & Delphico tripode se qvoq; posse prædicere jocatur, qvanqvam vates non sit, eum qvi obambulaverit nudus hyeme pluente qvoq; & grandinante Deo, febri algida non levi correptum iri, qvodq; majoris est peritiæ vaticinandi qvàm hoc, etiam calorem posthæc, ut verisimile seqvuturum. Peritiam tamen rerum naturalium insignem monstravit in Fabulis suis Æsopicis, qvas illi attribuit *Qvintilianus* l. 5. Instit. Orat. c. 11. unde animalium proprietates variaq; arcana eruuntur. Testantur id *Opera & Dies*. Ibi Oeconomiam in genere docet, demonstrante *Dan. Heinsio*, in specie Agriculturam & Navigationem. Inter alia, ætatum periodos tradens, ignem æthereâ domo sublatum maciei & morborum cohorti occasionem dedisse canit, ut epidemiorum morborum origines à caloribus cœlestibus deducamus, & seminibus, quæ *Lucretio* autore l. 6.

- - cum casu sunt forte coorta,
Et perturbarunt cœlum: fit morbidus aer.

Ad alios Poëtas Græcos non vacat transire, numero qvamplures, qvos non ignoro, qvia transeo, nec utiq; damno, ut qvi dicere non desinam, esse in omnibus aliqvid utilitatis pro Medico singulas Poëtarum paginas percurrenti.

Gestit calamus ad latinos progredi magis familiares. *Virgilium* in hoc choro Principem, nemo sine pudore legisse non velit, vel *Homeri* gratia, ex cujus operis velut speculo formatum, rectè *Macrobius* ait, & fusius per partes deducit Lib. 5. *Saturnal.* ut nihil svavius sit cujuscunq; artis studio addictus sis, qvàm duos præcipuos vates audire idem loqventes. De Æneidum libris ea censura est verissima. At in Eclogis *Theocritum* in Georgicis *Hesiodum* maximè est seqvutus. In Ecloga III. ænigma occurrit ex Floræ deliciis.

Dic qvibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: - - -

De hyacintho interpretes explicāt, fabulosô fundamento, de qvo *Plinius* l. 21. c. 11. hyacinthum comitatur fabula duplex,

plex, luctum præferens ejus qvem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura Ai legatur inscripta. Hoc ultimum seqvitur *Cl. Salmasius* in Exerc. Plin. nam hujus nomen inscriptum foliis præfert hyacinthi flos, Αἴ, αἶ, qvæ etiam notæ luctûs sunt. Ex *Ovidio* l. 10. Metam. illustrantur, qvi videndus. Laudatus *Salmasius* hyacinthum nostrum esse negat, in qvo nullæ venæ discurrunt ductibus suis illas literas efficientes, qvibus nomen Ajacis signatur, aut luctuosæ illæ literæ αἶ, αἶ: esse potius gladiolum à colore & lilii similitudine. Cui magno Viro forsan viam monstravit *Strabus Gallus* in Hortulo. Lilium purpureum ex *Cornario* censet *Joh. Bauhinus* l. 19. Hist. Plant. Antiqvitati consonus *Amatus Lusitanus* Comm. in l. 4. Diosc. Enarrat. 66. duplicem hyacinthum describit, primum vulgarem floribus cæruleo purpurascentibus, alterum flores habentem rubentes, similem lilio, sed notis qvibusdam emaculatum, de qvo Poëtas explicat: esse verò notas istas

in floribus hyacinthi repertas non qvidē literas veras, ſed maculas qvaſdam nigras, ut in flore fabarum qvoq; conſpiciuntur. Utriusq; hyacinthi radices ex horto Imperatoris Turcarum erutas vidit. Diſſimulare non poſſum qvid mihi in mentem venerit cum primùm de *Maronis* ænigmate cogitarem. Non potui credere ex fabula ænigmatis petendam explicationem, ſed ex re qvadam paſſim occurrente, (ſicut de puteo ænigma præceſſit,) qvam ſolemus verborum involucro tegere. De noto igitur & vero flore propoſitum fuit ænigma, non fabuloſo, cui nomen Regium vulgo inditum, qvalis eſt βασιλικὸν recentioribus Græcis *Aetio* tetr. 1. S. I. & *Simeoni Setho* dictum, ſeu ocymum, qvod Regium adhuc apud omnes ferè nationes dici teſtatur *Andernacus* Annot. ad l. 1. Ægin. c. 74. Aliis qvoq; floribus ex Regibus nomenclatura impoſita Regiæ palmulæ ex *Theophraſto* dicebantur *Plinio* l. 13. c. 4. ab honore, qvoniam Regibus tantùm Perſidis ſervabantur. Ab effectu Conſolida Regalis, à floris majeſtate Verbaſcum
noſtris

noſtris dicitur Kongelys / qvaſi lucerna Regia, qvā etiā λυχνίδιν vocat *Dioſcorides* l.4. c.104. ad lucernarum lumina aptam, unde Lucernaria *Marcello* c. 20. ſi antiqvitatem Græcam urgeas, ad *Dioſcoridem* te remittam, qvi l.3. c. 116. lilium κρίνον βασιλικὸν appellat. De Ocymo conjecturam meam olim auxit, qvod laudato *Anazorbæo* atteſtante l. 2. c. 171. ſi multum edatur, viſum hebetet, de qvo oculorum vitio agnos teneros faſcinante jam ante Menalcas fuerat conqveſtus. Non raro lippientes inficiunt alios. Vetulæ, propter effluvia vitioſa, dolorem capitis junioribus accerſunt. Sunt enim improportionata iſta effluvia, nec ſine moleſtia per poros corporis recipiuntur, unde in illis ſubſiſtentia, dolorem efficiunt & ſolutionem velut continui. Faſcino vulgus ſuperſtitioſum adſcribit, cum reapſe ſit infectio, commeantibus ex oculo alieno vel corpore diſſimili effluviis, qvorum figura differt à figura corporis recipientis. Hinc à vi imprimente, oculi faſcinantium urentes dicuntur *Perſio* Sat. 2.

uren-

- - *urentes oculos inhibere peritas.*

Tanta qvoq; creditur lupinis oculis inesse nocendi potentia, ut *Plinio* referente l. 8. c. 22. sed aliena fide vox homini ad præsẽs adimatur. Unde *Eclog*. 9.

- - *lupi Mœrim videre priores.*

Est enim ex *Plinio* & *Æliano* visus luporum acerrimus, ut intempesta nocte vel silente luna lucis usura perfruantur. Observatum etiam nostris, astutum esse animal, ut si à canibus in villa prius non videatur, interponat se inter villam & canes, hisq; mox discerptis, ovilia nullo repugnante aggrediatur.

Varia alia in Principe Poëtarum Medicus offendit, qvæ recensere opus non est, qvia ad alium locum spectant. Ecloga X. circa finem *Juniperi umbra gravis* dicitur, gravi in saluberrimam arborem censurâ, qvæ accensa serpentes fugat ex *Dioscoride* l. 1. c. 104. & *Plinio* l. 24. c. 8. Certè aëris infecti remedium usu inter nostros expertum est, sub cujus qvoqve umbra Elias Propheta innoxiè delituit 1. *Reg*. 19, 4. 5. Ita verò olim creditum, ex *Dioscoride* apparet, qvem *Fernelius*

vide.

videtur seqvutus l. 5. Meth. Med. c. 20. ut ramenta juniperi inter venena retulerint, qvanqvam *Dodonæus* Hist. Stirp. pempt. 6. l. 5. c. 4. emendatiora *Dioscoridis* exemplaria id neget habere, aut à qvoqvam veterum asseri. Imò πόθεν in textu *Dioscoridis* per negativam, authoritate *Suidæ*, interpretatur *Rhodius* noster Not. ad Scribon. c. 186. Ita tamen animis veterum inhæsisse, subindicat ea negatione *Dioscorides*, unde hausit *Virgilius*. In Georgicis fœcundus est Poëta in usibus Medicis. Nam libro primo de signis tempestatum agit, secundo de vitæ rusticæ laudibus, tertio de pecorum pestilentia, qvarto de Apum Republica, morbis, illorumq; remediis. In tertio pro canum cura traditur modus pellendi chelidros stabulis 1. cedro odoratâ, cujus qvoq; eundem usum cum thya incensa noverat *Homerus* Odyss. 5. confirmante *Plinio* l. 13. c. 16. cui certum est l. 24. c. 5. cedri scobe serpentes fugari. 2. galbaneo nidore, propter fœdum gravemq; odorem, qvo nomine uterinis emplastris galbanum à Medicis commendatur, &

& Theriaces Mithridatiiq; Compositionem ingreditur, qvod cum cæteris ingredientibus ferarum morsibus probè conveniat, teste *Galeno* l. de Ther. ad Pis. Mox gloriatur *Maro*, qvasi Medicorum παῖς;

Morborum qvoq; te causas, & signa docebo:

Hæc ovium scabies ad Mulomedicinam seu Artem Veterinariam spectat, in qva se Medicum Poëta præstabit. Nam in causis recensendis antecedentes præmittit, frigidum nempe imbrem & horridam gelu brumam: deinde addit qvi conjunctæ causæ rationem habet, illotum sudorem, & deniq; violentiam hirsuti vepris. In singulis consentit *Columella* l. 7. R. R. c. 5. sed addit exiguitatem cibi, unde macies, qvæ scabiem facit. Ita & *Cato* R. R. c. 5. de fame & pluviis. Signa qvæ promittit *Maro*, ante curationem negligit sui oblitus. Excusat forsan eum metri necessitas, vel qvod per se nota signa crederet, vel ex seqventibus aliorum morborum petenda. Supplet verò ea *Columella* l. d. Sic enim intelli-

telligi ſcabiem ovilli pecoris: Vitioſum locum pecudes, aut morſu ſcalpunt, aut cornu, vel ungula tundunt, aut arbori adfricant, parietibusve detergent. In ſanandis ovibus palliativam curam præmittit ablutione ſeu balneo aqvæ dulcis, minus profuturam, qvia ſolus *Eliſæus* 2. Reg. 5. leproſum Naamanum aqva Jordana curat miraculoſè, niſi remedia addantur ex fonte Pharmaceutico & Chirurgico. Ex Pharmacia, amurcam advocat, argenti ſpumam, viva ſulphura, idæas pices, pingves ceras, ſcillam, helleborum, bitumen. Amurcam laudat & *Celſus* l. 5. c. 28. uti & ſulphur pice liqvida, (qvæ idæa eſt,) miſtum in ſcabie pecorum & hominum, ex qvo *P. Vegetius* l. 3. Veter. c. 4. 71. & *Columella* l. 7. R. R. c. 5. idem remedii genus mutuati ſunt, ſed innominato autore, qvod *Vegetio* proprium. Balneum ex oleo, ſale & ſulphure ad ſcabiem Medicis probatur. Spuma argenti ſeu lithargyros conveniens huic vitio remedium, qvia deſiccat, modica tamen adſtringendi abſtergendiq; facultate, ut docet *Galenus* l. 9.

Simpl.

Simpl. Med. Facult. qvi eapropter ad intertigines femorum commendat, nosq; in erysipelate ejus experti sumus efficaciam. Huic argentum vivum alii in scabie substituunt, non æqvè tutò. Scilla rectè additur, qvia ex *Ægineta* l. 7. c. 3. desiccat secundo ordine. Unde & furfures capitis, & ulcera manantia, vulneraq; in facie sanat, *Plinio* l. 20. c. 9. Helleboros graves pro utroq; accipere videtur *Maro*. Asserit enim *Galenus* l. 6. Simpl. Med. Fac. ad alphos, lichenas, psoras, leprasq; accommodos propter vim extergendi. Albi solius hic meminit *Columella* l. d. istiusq; usum maximè externum in scabie, impetigine & serpigine approbant Medici, qvia mundificat & sanat. Summam tamen fortunam horum laborum ponit in manu Chirurgi, ut summum ulceris os ferro rescindatur, memor *Hippocratici* oraculi, qvæ medicamenta non sanant, ferrum sanat, &c. Huc tamen non deveniendum censet *P. Vegetius* l. 3. Mulomed. c. 71. nisi vetustate scabies occalluit, tum enim obradendam vel eradendam seu abradendam veriùs ferro

ferro

ferro vel teſtis ad vivum. *Comella* l. 6. c. 31. papulas ferventiſſimo ſole uſq; eò ſtrigile radi præcipit, qvoad eliciatur ſangvis, tumq; ex æqvo miſcendas radices agreſtis herbæ, ſulphurq; & picem liqvidam cum alumine. Pro *agreſtis* legit *Chifletius* l. 1. c. 11. *agroſtis* h. e. gramen. vel Bryonia, qvam *Dioſcorides* l. 4. c. 184. ἄγρωστον vocat, vitiis cutis, lentigini, phoræ, & lepræ deſtinatam: vel filix, qvam *Priſcianus* Grammaticus l. 5. vocat ἄγρωστον, *Dioſcorides* l. 4. c. 187. jumentorum cervicibus mederi ſcribit, noſtris qvoq; Veterinariis probatam.

In peſtilentia pecudum deſcribenda tam eſt accuratus *Virgilius*, ut ſi ſingula expendere accuratiùs vellem, opus foret prolixiori commentario. In Æneidum libris vix verſiculus procedit, qvin Medico eſſe poſſit utilis, ut Maronem vel Medicum fuiſſe crediderim, vel vatem ad omnia edoctum. Argumentum ipſum qvidem, in qvo cum Homero Virgilius occupatur tanto ſeculorum applauſu, merè fictitium videtur. Prolixâ oratione id probavit *Dio Chryſoſtomus*, &

veterum confeſſione conſtat. In univerſum enim Græcorum hiſtoria pro fabuloſa traducitur. *Juvenal.* Sat. 10.

- - qvicqvid Græcia mendax
Audet in hiſtoria. - -

Qvintilianus de Clar. Oratorib⁹ Tacito adſcriptis non permittit ſuas hiſtorias & Romana nomina Græcorū fabulis aggregari. *Lucianus* in Philopſeud. *Veteres illi, Herodotus, Cteſiasq́; Cnidius, & ante hos Poëtæ & ipſe Homerus viri celebres, mendaciis ſcriptis uſi ſunt, ut non ſolum eos fallerent, à qvibus tunc audiebantur, ſed ad nos etiam mendacium per manus traditum perveniret, in pulcherrimis verſibus, metrisq́; ſervatum.* Trojæ verò obſidio & expugnatio fabulis qvoq; annumerata. *Cicero* l. 2. de Divinatione: *Qvæ enim vita fuiſſet Priamo, ſi ab adoleſcentia ſciſſet qvos eventus ſenectutis eſſet habiturus? abeamus à fabulis, propiora videamus.* Idem de Amicitia: *Nec enim* (ut ad fabulas redeam) *Trojam Neoptolemus capere potuiſſet.* Non aliter *Lucanus* Pharſal. l. 2.

- - - & fabula Trojæ.

Et

Et *Tacitus* l. 12. Annal. Æneæ historiam, aliaq; *non procul fabulis*, & de Morib. German. Ulyssis errorem longum vocat & fabulosum. Sine ambagibus rem eloqvitur *Augustinus* l. 1 Civ. DEI. c 4. De Troja: *Sed Virgilius*, inqvit, *Poëtarum more, illa mentitus est.* Poëticum hunc stilum in historia Græca agnovit *Trebellius Pollio* in Claudio, ut alios jam silentio involvam. Qvanqvam verò hæc ita sint, tamen & fabulas novisse Medico expedit, qvibus ægrorum subinde animos ducat; sapientissimis usitatas; si qvidem & Menenius Agrippa plebem cum Patribus in gratiam traditur reduxisse, notâ illâ de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. Medicus nec omnibus fabulis repugnat, nec omnibus acqviescit, qvod de Philosophis *Macrobius* l. 1. Somn. Scip. dixerat. Fabulas à Poëtis discit, ut miles fingat, si qvando vel ægri inobedientes vel mente laborantes sunt decipiendi. Mortuum se qvidam credens, cibo omni abstinuit. Medicus alium subornavit habitu funerali vestitum, strenuè

cibo ſe implentem. Hinc alter, hujus exemplo inductus, qvia mortuos vidit cibis indigere, ad cibum qvoq; ſumendum ſe accinxit, viribusq́; receptis convaluit. Alius hypochondriacus ranas ſe ventre geſtare ſuſpicatus, à Medico deluſus fuit, ſubditâ ranâ in pelvi poſt medicamentum purgans. Nuper in ſene ruſtico, qvi imprægnatum ſe catulis perſvaſerat credulæ viciniæ, idem tentaſſem, niſi à flatibus turgere & murmurare ventrem rationibus meis conceſſiſſet. Eſt qvoq; ex re Medicorum, fabulis nonnunqvam ſecreta ſua involvere, ne plebejis & agyrtis innoteſcant, qvod Chemici certatim imitantur. Vetus hic docendi mos, ab ipſis Heroicis temporibus derivatus, qvo nomine diligenter à Medico lectitandi Poëtæ, etiam qvi inutilia cantare vulgo perhibentur. Pro fabula reputatur Argonautica expeditio, omnis hiſtoriæ Græcanicæ origo. Hinc *Apollonium Rhodium* inter Græcos, & *Valerium Flaccum* inter Romanos, Argonauticæ hiſtoriæ conditores, rigida cenſura perſtringit *Ludov. Vives* l. 3. de Trad. Diſc. qvod

nihil attineat eos legi, qvasi nihil sit in qvod tempus consumatur potius, ob argumenti levitatem. Non dubito tamen istos, non obiter mihi lectos, Medicis laudare, non carminis tantum vel dictionis gratia, qvam improbare non potest *Vives* doctissimus, sed argumenti, qvod prorsus Medicum, fabulæ Argonautarum & aurei velleris involutum. Ad chemiam omnia tendere *Suidas* autor est: aureum enim vellus, qvod Jason & Argonautæ, Pontico mari in Colchidem profecti, unà cum Medea Regis Æetæ filia rapuerat, non fuisse ejusmodi, qvale Poëtæ fabulantur, sed librum in membranis scriptum, qvi continebat artem conficiendi aurum. *Daniel Sennertus* de Conf. & Diff. Chym. c. 3. *Suidæ* calculum adjicit, cum qvadrent omnia aptissimè. Nam Draco ille vigil est Mercurius, qvem sopire dificilimum, huic Aurum, qvod Phasis in Colchide detulit, custodiendum traditur. Materia ista includitur templo Martis, id est, fornaci Philosophorum; custodes sunt tauri ignem spirantes, calor nimirum per gradus adhibi-

tus; Draconis dentes, qvi in exercitum evadunt & se mutuis vulneribus conficiunt, est pugna materiæ vasi suæ inclusæ, donec ad unitatem redigatur. Ita tandem arte Medeæ medica Jason Medicus Draconem sopit, id est, volatile figit, & ex veneno utilem medicinam parat. *Mich. Majerus* Ænigm. 223 eqvum Trojanum Maronis carmine celebratum, qvo bello finis impositus, de subjecto artis Philosophorum interpretatur; aliorum authorum testimonio. Sic enim *Rhasis* in Epist. coopertorium Eqvi pallium nostrum album, & eqvus noster Leo fortis sub pallio coopertus. De chemia Argonautarum *Jo. Meursius* nonnulla habet Not. ad Lycophron. p. 88. In aliis fabulosis narrationibus veteres naturæ plerumq; & Medicinæ secreta condiderunt, qvod inter alios *Natalis Comes* in Mythologia fusius est perseqvutus. De Æsculapio, Chirone, Vulcano aliisq; res notissima, Medicinæ, Chirurgiæ & Chemiæ originem designari. Fabula de Jove in pluvium aureum converso, Martis & Veneris in adulterio deprehensæ, Satur-

ni

ni â filio membris mutilati, & aliæ, ad chymiæ arcanas operationes trahi posſunt. Myrrhæ originem *Ovidius* l. X. Metam. fabulâ explicat, cui ſanè argumento, ut aliis Poëtarum, veritas ſubeſt, qvanqvam ſola narratio ſit fabuloſa.

Ex Poëtis hiſtoricis delibare Medicus debet, condimenta inſperſa *Silium* puto, & *Lucanum*. Apud hunc l. 6. Pharſal. illum verò l. 14. Bell. Pun. peſtilentiæ deſcriptio extat cum cauſis, ſignis & ſymptomatis, ſicut & apud *Virgilium* l. 3. Æn. *Lucretium* l. 6. de Rer. Nat. *Ovidium* l. 7. Metam. *Senecam* Oedip. Act. 1.

Serpentis ſqvalentibus (vel ſqvamoſis) maculis ex corpore humano prodeuntis inter raras obſervationes meminit idem *Silius* Italicus lib. 2. cujus qvoq; in *Virgilio* l. 5. Æneid. indicium obſervamus, qvem manes ſeu umbras demortuorum vana ſuperſtitione credidit vulgus, cum naturalem habeat cauſam, à *Photio* c. 245. Biblioth. adumbratam, qvod ſicut apes è bobus putrefactis, ex eqvis veſpas prorumpere, atq; ex aſinis ſcarabæos progigni conſtat; ita ex humanis cor-

poribus saniei circa medullam confluvio & qvadam concretione facta serpentes reddi. De serpentis ortu è spinæ hominis mortui mali medulla vide *Ælianum* lib. 1. Anim. Hist. c. 51. De serpentibus qvoq; in humano corpore legi meretur *Gregor. Horstius* Epist. Med. Sect. 6. & de iis responsum *Melch. Sebizii*. Lupos visceribus suis colubrum fovere ex venatorum relatione pro certo narrat *Casp. Barthius* Animad. ad Statii 4. Theb. à qvo exanimentur, idq; confirmare *Jo. de Clamorgan* Gallum *c. 1. de Venat. lupor.* Hæc omnia ex seminibus propriis cum *Scaligero* Exerc. 59. Sect. 2. deducit *Sennertus de Cons. Chym. & Arist. c. 12.* Vermes, lumbricive varii generis passim in corpore nostro generantur in materia corrupta. In cerebro vivo nonnunqvam, qvi deinde ex mortuo exeunt. Nobilis qvidam Danus in templo nostro Hagestedano sepultus, dolore capitis confectus fuerat à verme longo, qvi ex naribus mortui prodiit, & tumbæ ferali sua pyxide inclusus servatur in tumulo. Similem in cerebro abscessum verminosum

ſum Lutetiæ obſervavit *Guido Patinus*, à nobis deſcriptum Cenr. 1. Hiſt. Anat. 64. ubi & ejuſdem generis plura exempla ſignavimus. In corde angvem bifidum flagelloſum Londini detectum deſcripſit *Majus*, & ex eo *M. Aur. Severinus l. de Abſceſſ. Nov. obſ.* Alatum vermem Confluentiæ *Jo. Dan. Horſtius*, amicus noſter, in Manud. ad Med. Apud eundem *Silium l.* 3.

Antheus, celſumq; caput ſuper agmina tollit.

Hujus enim cadaver deſiccatum ſeu ſceleton dicitur fuiſſe cubitum ſexaginta; teſte *Mela* l. 1. c. 5. & *Strabone* l. 17. vel cubitum IX. ſicut emendat *Cl. Dausqvejus*. Mira explorandi legitimam prolem ratio eſt per aſpidem admotam, de qva *Silius* l. 1. & *Lucanus* l. 9. Pſyllorum genti aſſignata *Plinio* l. 7. c. 2. verè barbaræ.

Monſtroſos partus, futuri belli Pharſalici omnia, conſignavit *Lucanus* l. 1. qvi ſe Anatomicum monſtravit ea delineans qvæ in extis Aruns vates Thuſcus obſervarat. Amavi ſemper Poëtam,

Virgilio proximum. Placet igitur ham ejus in Anatome peritiam propalare Lib. 1.

Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sangvine virus.

Sangvinis adusti vel corrupti indicium, sive pabuli vitio, sive cœli. Calida enim erat tempestas, qvod indicant terræ motus, incendia Ætnæ, faces cœlo volantes, Cometes, fulgura. Unde pabuli cœliq; intemperie calida accensum animalium sangvinem credimus, & ipsos Romanos ad civilia bella inflammatos. Pagani verò ex naturalibus eventibus omnia imminentium rerum ignaro vulgo persvadebant. Virus vel pro sanie, ut interpretes reddunt *Scribonio* favente Comp. 173. vel pro sangvine, licentia concessa cepit *Lucanus* : seqvitur enim de visceribus:

- - *gelidoq; infecta cruore*
Plurimis asperso variabat sangvine livor.

Hic sangvis lividus viscera tetris, ut

lo-

oqvitur, notis tinxerat putredinis indiciis. Nam cum calida tempeſtate etiam humiditas comitabatur, unde maris nundatio. Talesq; notæ variegatæ in iſceribus paſſim comparent, etiam in epate, qvod in aruſpicina primam curam ad ſe trahebat, de qvo ſtatim noſter:

Cernit tabe jecur madidum, venasq; minaces
Hoſtili de parte videt. - -

Redolent hæc Anatomen Paganorum, qvi plus ex alieno jecore ſapiunt, t ille loqvitur, qvàm ex ſuo. Dividebant verò aruſpices jecur animalium, maginatione potius qvàm rei veritate, n duas partes, familiarem unam vocabant, hoſtilem alteram, illam ſibi aut pro qvo ſacrificium offerebatur, hanc nimicis aſſignantes. Ex utriusq; partis olore, tabe, habitu, plenitudine, diminutione, fata ſuorum vel adverſariorum divinabant. Utriq; parti ſuum caput tribuebant, de qvo mox idem *Lucanus* noſter:

Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem.

Al-

Alterius capitis pars ægra & marcida pendet.

De qvibus qvi plura volet, legat *Adr. Turnebum* l. 11. Adv. c. 27. & *Mart. del Rio* Not. in Sen. & Com. poſt. Proprii verò vocabula hujus artis aruſpicinæ ex hepate & τεχνικὰ, ex *Heſychio* aliisq; Grammaticis explicat *Iſaacus Caſaubonus*. Not. ad Capitolinum. Cæterum Anatomen hanc ut fictitiam, ita vel ſimplicitati illorum vel aſtu condonamus, miramurq; cum *Tertulliano* Apologet. c. 30. cum hoſtiæ probatæ ſint penes Paganos, à vitioſiſſimis Sacerdotibus cur præcordia potius victimarum, qvàm ipſorum ſacrificantium examinarentur? Neq; tamen id intentatum reliqvit crudelitas, vel religio. De Gallis enim ſcribit *Julius Cæſar* l. 6. Bell. Gall. qvi ſunt affecti gravioribus morbis, qviq; in præliis periculisq; verſantur, aut pro victimis homines immolare, aut ſe immolaturos vovere. Vera ſcripſerit, an falſa, nolim cum *Verderio* Cenſ. in Auct. diſputare. Occupatus fuerit in bellis *Cæſar*, ut in ritibus gentium accuratè in-

qvi-

virere neqviverit : attamen barbaris ndis hodieq; usitatum, ut defuncto marito viduæ superstites se in rogum luentes præcipitent. Puerilia qvoq; exa inspexerunt. De Heliogabalo enim *Æl. Lampridius*. Cædit & humanas hoias lectis ad hoc pueris nobilibus. Harianus apud *Dionem* Antinoum immoavit ut extispicio puerilis victimæ futura exploraret. Alias immolabantur pro liis vicaria victima, ut de filia Agaemnonis narrat *Dictys Cretensis* l. 1. Tales dicebantur Græcis ἀντίψυχοι, doente *Salmasio* in Hist. Aug. *Pacuvius* n fragm. Non.

Regnum potior, conjugem macto inferis.

Qvæ de pulmonibus, corde, jecore, omento ex veterum Anatome tradit *Lucanus*, confirmat *Seneca* Tragicus, qvem deo ad has partes hic voco, ne à Medico abeat insalutatus. Qvanqvam ubiq; n Tragœdiis materiam nobis suppediet, singulis tamen recensendis hoc loco supersedere cogimur. Illustris est in Oedipo *Act. 2. Sc. 2.* Tiresiæ extispicina:

na. Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet. *Lucano* l. d. cor jacet. H. e. Tam flaccidũ est, ut ferè conspectum fugiat. Rectè latet, non abest. Qvippe latere in pingvedine potuit, qvod suspicatur *Adr. Spigelius*, qvi in Strutiocamelo tantum adipem vidit, ut facilè imposuisset astantibus cor ibi defuisse, qvod aruspices aliqvando promulgarunt. *Plinius* l. 11. c. 37. Cæsari Dictatori qvo die primum veste purpurea processit, utq; in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit cor. Unde qvæstio magna de Divinatione argumentantibus, potueritne sine illo viscere hostia vivere, an ad tempus amiserit? sine dubio, ad tempus abfuit, cum pingvedine, qva immersum latuit, ab astutis sacrificulis, celerrima manu extractum. Qvippe bovem eundem lustralem opimum fuisse, disertè *Valerius Maximus* l. 1. c. 6. §. 13. prodidit. Hæc sacra non aliter constabant. Decipiendi erant creduli & superstitiosi. *Julius Capitolinus* de Pertinace: eadem die immolante Pertinace, negatur in hostia cor repertum seqvitur;

Et

Et felle nigro tabidum ſpumat jecur.

Tabe madidum *Lucanus* dixerat Ca-
ore nimio facile jecur tabeſcit, & adu-
itur fel. Fel enim bubulum inter cale-
acientia numerat *Hippocrates* l. de Loc.
n Hom. & abſtergendo ulceribus com-
nendat idem l. de Ulcer. ſiccando vul-
eribus glutinandis adhibet *Celſus* l. 5.
. 20. Faucibus verò ſiccandis *Scriboni-
s* Comp. 68. uti & *Dioſcorides* l. 2. c. 96.
Hinc facilè accenſum, corrumpit jecur.
Tales boves cauti Sacerdotes ad ſacrifi-
ia ſua eligebant, qvos morbidos rerum
arum haud imperiti, ſuſpicabantur.
Nigrum ſel etiam in humana veſicula bi-
ria p. n. inventum, atramenti colore
bſervavit *Veſalius* in Examin. Obſ. Fal-
op. Tale vidit in palpitatione abdomi-
is *J. Bontius* Obſ. Jnd. 8. De Monacis
Rutilius l. 1. Itinerarii:

Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.

In arthritide & hectica ſimile notat
Platerus l. 2. Obſ. & in febre maligna
ilgerus apud *Greg. Horſtium* Epiſt.
ect. 11. p. 456. Omen grave imperio
iud in jecore addit *Tragicus*:

capi-

capita paribus bina consurgunt toris; ubi de capitibus seu protuberantiis hepatis venis loqvitur, non imaginariis. Præter naturæ verò ordinem duplex caput, omine infausto, annotarunt qvoq; Historici *Livius* l. 27. *Plinius* l. 11. c. 37. *Valerius Maximus* l. 1. c. 6. Certè delusi sunt Spectatores; nam jecoris partem dextram pro uno, sinistram pro altero capite ceperunt. Quale etiam maxima parte est bubulum jecur, qvod humano simile dicit *Aristoteles* l. 1. Hist. Anim. c. 17. reliqvorum enim animalium jecinora in plures lobos distingvuntur, qvi totidem capita fingunt, in homine & bove desiderata, nisi p. n. ut in *Anatome nostra* docetur. Ex pingvedine aucta gemini capitis similitudinem advocat *Delrio*, qvam potius obliterare dixerim. Forsan duplex jecur præter naturam, sicut de leporibus Bisaltiis scribit *Aristoteles* l. de Mirab. Auscult. Absconditum verò utrumq; caput tenui membranâ cum asserit *Tragicus*, sibi minus constat, si enim absconditum fuit geminum caput, qvo modo duplex visum.

Re-

Revera peritonæi membrana colligaverat partem jecinoris utramq; , qvam pro capite habebant. Ita abſcondi jecoris caput in malam partem interpretabantur aruſpices. Abſconditur enim, verè non abeſt. Rectè qvippe *Plinius* l. 11. c. 37. M. Marcello circa mortem, cum periit ab Annibale, defuit in extis: ſeqventi deinde die geminum repertum eſt. Scilicet pro lubitu & rerum neceſſitate, modo deeſſe fingebant, obvelatum membranâ, vel duplex monſtrabant caput, ſeparatis membranis qvibus vinciebatur. Hinc notanter *Julius Obſeqvens* l. de Prodigiis ſub Coſſ. L. Opimio, & Qu. Poſthumio; cum immolaret Poſthumius in plurimis victimis caput in jecinore non fuiſſe ab illo inventum. Aderat, ſed ille non invenit, ſive imperitia ſectionis, ſive alio oculorum faſcino. Limes obliqvus ſecans, aliàs fiſſum vocabatur, ſeu linea ficta ab aruſpicibus, exta ſecans in duas particulas, qvod more Mathematicorum ſibi licere putabant in cœlo circulos fingentum melioris doctrinæ gratia. Ad du-

plex verò caput imaginarium, duple qvoq; erat fiſſum, familiare & hoſtile. At præter neceſſitatem *Turnebus* l. 4. Adv. c. 18. diſtingvit familiare à vitali, ſeductus authoritate *Ciceronis*, ut adv vertit *Delrio*. In cæteris qvæ ſubnecti *Seneca*, Tragicum ſe probat, veræ hi ſtoriæ aliqva falſa immiſcens, qvaſi na tura verſa eſſet tota, mutatusq; ordo vi ſcerum. An pulmo in dextro non fui latere? Non memini locum mutaſſe, ſe vel morbo conſumptum, vel malè affe ctum. Clarius *Lucanus*:

- - pulmonis anheli
Fibra latet. - - -

Pergit ad cætera *Tragicus*:

- - non molli ambitu
Omenta pingves viſcerum obtendum
ſinus.

Quia fatiſcunt. Addo viſcera obtendi omentis non potuiſſe, qvia in animali bus dolore & tormentis ferè retrahun tur, ut verè latebras ſuas prodant, ſicu canit *Lucanus*. Aliàs omento ſacrifici ſua operiebant Pagani, ut flammam fa cilius conciperent. *Perſius* Sat. 2.

qv

- - *qvo pessime pacto*
Tot tibi, cum in flammis junicum omenta liqvescant?

Catullus qvoq; Epigr. 91. in Gellium:
Omentum in flamma pingve liqvefaciens.

Cur ranarum viscera inspexerint ad
eneficia, de qvo *Juvenalis* Sat. 3. igno-
o, nisi qvod Rubetæ duo habere jecora
icantur Timeo & Neoclidi Medicis
pud *Ælianum* l. 17. An. Hist. c. 15.
Nostro seculo ista inspectio multum lu-
is Anatomiæ attulit, *Malpighiumq;*
d Pulmonem vesiculas manuduxit. Ab
natomicis ad Botanica transeamus.

Catullus Epigr. 45. à tussi freqventi &
igida gravedine se recuratum in fundo
o gloriatur.

- - *ocymoq; & urtica.*

Urticam huic usui qvoq; destinavit
cribonius Comp. 96. &, qvia multum
nuium sit partium, crassorum viscoso-
mq; humorum ex pectore pulmoneq;
ductioni *Galenus* l. 6. Simpl. Med. Fa-
ult. Ocimum qvanqvam veteres inter-
è non ausi sint exhibere, ut fusè evincit

Plinius l. 20. c. 12. & *Galenus* l. 8. Simp
Med. Fac. seqvens tamen ætas defendit
ut ad renes commendet *Apulejus* d
Virt. Herb. c. 117. cardiacis *Sim. Seth*
lit. β. 5. pectoris vitiis & phtisi in cib
Celsus l. 3. c. 22. suspiriosis *Dodonæus*
4. Pempt. 2. c. 11. Ut non dubitari
Mesues electuario de gemmis, & diamo
sci alefelengemisch seu ocymum citra
tum miscere, qvanqvam Magnus noste
Simon Paulli Qvadrip. Bot. Class. 3. odo
rem ejus naturali, ut videtur, odio aver
satus, aliis gratum, unicum manipulum
florum tunicæ aut herbæ Melissæ tene
ræ integris fasciculis ocimi præferat.

Horatius l. Epod. 2. malvas corpor
gravi salubres pronunciat, exoneratura
ventrem *Martiali* l. 10. Ep. 48. qvo
molles sint eidem l. 3. Ep. 88. At in al
lium nimis injurius videtur idem *Flac*
cus Epod. 3. qvando cicutis nocentiu
vocat, duris tamen messorum iliis con
cedens. Venenis potius adversatur, &
contagio. *Galeno* enim Theriaca rusti
corum est, l. 12. M. M. c. ult. *Macer*
c. 5.

Cura

Curat qvos ſerpens, vel ſcorpius intulit ictus,
Et nocui vermes triti pelluntur odore.

Hanc ob cauſam ipſo Perſæ olim ſuas ulinas replebant. Fertur qvoq;, *Simeone Setho* atteſtante lit. Σ. 13. ſi duo vena aſſumpſerint, qvod alterum horum inus offendit qvi allium poſt hoc guavit, qvam alterum qvi eo non eſt uſus. dem contingit, ſi duo à venenatis feris ercuſſi tuerint. Contra peſtem non vaere *Valeſcus de Taranta* l. 7. Philonii robat, qvia ſupercalefacit humores & orpus, & generat fumoſitates, & ſuercalfaciendo adjuvat ebullitionem ſangvinem adurit, ex qvo generenr apoſtemata mortifera. Nodum taen ſolvit *Manardus* l. 5. Epiſt. Med. 3. oderatam qvantitatem præſcribendo. via à vario aëre periculum infectionis etuebatur, nautis olim familiaris erat lii uſus, etiam *Plauti* indicio in Penulo:

- - tu autem plenior
Allii, Ulpiciq́ qvam ſunt Romani remiges.

Forsan *Flaccus* avidius allium comederat, nauseante stomacho, vel illi, occulto principio, adversum erat, sicut alii rosam fragrantissimam ferre non possunt. Allium non paucos novi detestari. Mordax enim est. Sic *Prudentius* περὶ στεφ. hymn. 10. ridens Ægyptios Deos:

Adpone porris relligiosas arulas,
Venerare acerbum cæpe, mordax allium.

Inter fœtida qvoq; numeratur à *Plinio* l. 2. c. 7. Gentes qvædam animalia etiam, aliqvæ & obscœna, pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos, & alia similia jurantes. Ubi legit *Chiffletius* l. 2. dædalm. c. 5. *per fætidas cæpas, & allia similiaq; jurantes.*. Venenatas plantas Thessalia produxit, de qvibus *Tibullus* l. 2. El. 4..

Qvicqvid & herbarum Thessala terra gerit.

Herbas eas incantationibus cum carmine adhibitas indicat alibi, sed eas malas esse. l. 1. El. 2.

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.

Ett

Et mox:

\- - *hæc eadem ſe dixit amores*
Cantibus, aut herbis ſolvere poſſe meos.

Eaſdem ab effectu pallentes vocat l. 1. El. 8.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus.

In Theſſalia qvippe magorum eſſe ſedem veteribus creditum. Sufficit unus *Apulejus* l. 2. Metamorph. Reputans me media Theſſaliæ loca tenere, qvo artis Magicæ nativa cantamina totius orbis conſono ore celebrantur. Unde ibidem natas herbas Magis inſervientes, malas vocabant. De herbis hujuſmodi magicis, à qvibus excultæ, multa recitat *Plinius* l. 24. c. 17. An inter has allium fuerit, non conſtat, à Canidia venefica *Flacco* propinatum. Id ſcio, multas pro malis ſeu magicis habitas olim ab ignaris vel ſuperſtioſis, qvæ naturali poteſtate ea efficiebant, qvæ vulgaris ingenii homines admirabantur. Singulas non recenſebo. Sola herba ab Appollodoro magicis annumerata apud *Pli-*

nium l. d. æſchynomene dicta reliqvas vindicet. Magica credebatur, qvoniam appropinqvante manu folia contraheret. Noſtro certè ſeculo innotuit herba Mimoſa dicta, qvam Baſileæ apud *Jo. Caſp. Bauhinum*, & Patavii apud *Jo. Veſlingium*, & in patria urbe vidi contrahentem folia accedente, nec tangente manu. Notam herbam hanc olim fuiſſe, vero ſit ſimile. Nimis enim audacter *Dodonæus* l. 1. Pempt. 5. c. 35. ut Æſchynomenen hanc *Plinii* impatientem vulgò dictam herbam, ſeu noli me tangere, eſſe evincat, pro *foliis* legit *ſiliqvas*, ſine ullius codicis conſenſu. Folia ſe contrahunt, noſtrum tactum fugientia. Videndus de his *Cluſius* in Exoticis, *Jo. Bauhinus* l. 17. Hiſt. Plant. c. 27. *Guil. Piſo* l. 4. Braſ. hiſt. *Marcgravius* Braſil. Hiſt. l. 2. c. 12. Felicem Oſmundæ facie Virginianam addit *Bodæus à Stapelen* l. 4. Com. in Theophr. c. 3. Sed accuratiſſimum diſcrimen inter prænominatas plantas ratione tactus nobis dedit Floræ delicium *Simon Paulli* Quadrip. Botan. Claſſ. 3. Nempe *Herba*

va viva omnem effugit tactum, qvam etiam ſe contrahere vidit, ad ſubſiſtentis bufonis attactum; *Mimoſa* ægrè fert ſe tangi qvidem ſed non adeo celeriter, nec contrahit neq; iterum explicat folia attacta, citra foliorum interitum; *Filix Indica* tangi qvidem ſe ſuffert, ſed viduatur poſtmodum foliis, gangræna qvaſi correptis. *Pinahuizxihuil* Margravii, vel Cocochiatl, ſolo contactu minimo, vel afflatu humano ſe contrahit & marceſſit. Magicis artibus hæc aliaq; fieri diceret rerum naturæ ignarus, in herbis & lapidibus vulgarem notitiam ſupergreſſis. His ſimilibusq; plantis Theſſalici forſan campi abundabant, propter Magiam adeò decantati. Philtra Theſſala cantibus magicis copulat *Juvenalis* Sat. 6.

- *qvibus valeant mentem vexare mariti,*
Et ſolea pulſare nates -

Qvæ forſan portenta Theſſala vocat *Horatius* l. 2. Epiſt. 2. Ex qvibus compoſita ſint, indicat Phroneſium meretrix *Plautina* Truc. Act. 2. Sc. 5.

- fer huc verbenam mihi, thus &
bellaria.

Et *Virgilius* Ecl. 8.

- - molli cinge hæc altaria vitta:
Verbenasq; adole pingves, & masculla
thura,
Conjugis ut magicis sanos avertere
sacris
Experiar sensus. - -

Qvæ per partes repetit *Apulejus* in Apologia. Verbenam ad amicitias potentum captandas plures fingere *Macer* c. 66. narrat, sed irridet, meritoq; anilia vocat. Virtus philtrum optimum. Verbenam in sacris usitatam ex *Terentii* Andria discimus: Ex ara verbenas hinc tollito. Deabus genethliacis dedicata. Habuere enim & plantæ suos Deos, ut arbores. Nam P*hædrus* l. 3. Fab. 56.

- - qvercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, P*hœbo lau-*
rea,
Pinus Cybelæ: populus celsa Herculi.

Consentit P*linius* l. 12. c. 1, nisi qvod Jovi esculum tribuat, & *Faërnus* pinum Neptuno. Sed rectiùs P*hædrus*, qvo cum fovit *Claudianus* l. 2. Rapt. Pros.

Qvercus amica Jovi &c.

De hoc argumento adeundus *Meursius* filius in Arboreto ſacro. Myrtum pro verbena apud *Terentium* accepit *Donatus*, qvia apud *Menandrum*, ex quo transtulit ſua *Comicus*, μυρσίνη, ſeu myrtus legitur. De Pinu *Statius* de Phryga Idæa l. 10. Theb.

- *qvatit ille ſacras in pectore* Pinus,
Sangvineosq; rotat crines. -

Pinus enim arbor in penetralia templi Matris Deûm inferebatur, in Attidis memoriam, ut ſcribit *Arnobius* l. 5. adv. Gent. qvia in hanc converſus fuerat. Iſiacos pineis uſq; ad perniciem pectus tundere cogebat Commodus apud *Æl. Lampridium* in Ejus Vita. Unde in virgæ extremo pinea eſt in manu Matris Deûm Iſidæ & Attidis, à *Laurent. Pignorio* in Menſ. Iſiac. explicata, & ſummum faſtigium pollicis digiti inſidet nux Pinea in altera manu. Virgam non ſola Mater Deûm ſed & Pallas & Mercurius habuere. Magiſtratibus qvoq; Romanorum propria, unde forſan ad Reges ſceptra tranſierunt. Gubernandis eqvis Numidæ

midæ adhibebant, & litis dirimendæ gratia alii. Medici deniq;, ut de aliis taceam, Apollinis exemplo, virgam suam habuerunt. De qva *Statius* l.2. Theb. de laico vulnerato:

It tamen, & medica firmat vestigia virga.

Sive qvod lassitudini ejus mederetur, ut exponunt *Glossæ Mstæ*, sive qvod ex imperio Medici viveret. Ab Æsculapio seu virgam seu baculum mutuantur Medici. Nodosus ille fuit ramulis semiamputatis apud *Apulejum*, qvo difficultas artis significatur, *Festo Pompejo* l. 9.

Qvia in *Statio Papinio* versor, præterire non possum elegantem versiculum de aurium tinnitu l. 4. Sylv. carm. 4. v. 25.

- *qvod si tibi proximus hæret,*
Non ego nunc vestro procul à sermone recedo;
Certum est; inde sonus geminas mihi circuit aures

Tinnitum aurium illi excitari, de qvo alicubi mentio fit, vetus est traditio. *Catullus* Carm. 52.

Sa-

- sonitu suopte
Tinniunt aures, - -

In Catalectis *Virgilii* legitur:

Garrula qvid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio qvem dicis nunc meminisse mei.

Confessione *Plinii* l. 28. c. 2. absentes innitu aurium præsentire sermones de se, receptum est. Nihil inter vulgus nostrum hac credulitate communius, rationis ignarum, in qva tamen laborant ingenia. A scopo aberrant qvi mutuam qvandam affectionem patientis cum agente, sine ullo effluvio aut medii mutatione hic somniant. Propior vero est *Gevartius* Not. ad Stat. opinionem hanc inanem & vulgi persvasione inductam esse; tinnitum enim oriri ab humoribus è cerebro defluentibus, qvi si ad aures descendant, tinnitum talem gignant, si ad oculos supercilii subsultationem, qvam etiam inter omina veteres retulerunt. Non tamen ab humoribus solis deducendus, sed humoribus flatulentis, qvi insitum auris aërem commoventur.

Mo-

Moventur illi in hypochondriacis & amore percitis, assidua meditatione rei amatæ; hinc sibi fingunt ex tinnitu prognosticum, qvod prorsus ad casum fortuitum spectat. Nihil per se præsagit, qvia à causa necessaria dependet, qva adeò afficiuntur nonnulli, ut freqventiorem tinnitum aurium sentiant in capitis præsertim affectibus. Supercilii subsultatio ejusdem est generis, qvam in palpebris potius admiserim, à flatu vel humiditate acri à cerebro vel vasis depluente. Similis est lagophthalmia, convulsio nempe palpebræ, & ἴλλωπ@ tremor ejusdem. Naturali consvetudine amicus qvidam semper oculis connivet, qvalem affectum etiam mater hypochondriaca fuerat perpessa. Ab arteriis pulsantibus sonum excitari in auribus vehementiorem, si qvis cubet in aurem aliqvam, docent Medici, experiuntur laici, qvem situm ferè eligunt qvi altius cogitationibus indulgent. Perforatio mastoidis apophyseos à *Riolano* in Encheirid. Anat. l. 4. c. 4. proposita, ut detur exitus spiritibus ibi tumultuantibus,

fru-

frustranea est, & periculosa. Illud, qvia de novo regeneratur, hoc, ne una implantatus aër expiret.

In *Flacco* insignem & morborum & medendi peritiam annotabo anteqvam ad alios secedam. Lethargi & veterni curationem in vigiliis ponit 1. *Epist.* 1. & *Sat.* 3. l. 2. ne nimio ocio vel somno torpescant prorsus, aut hydrops oriatur. Qvomodo autem lethargo laborantem avarum excitare possit Medicus multum celer atq; fidelis in Satyra dicta docet:

- Mensam poni jubet, atq;
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit. Addit & illud,
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres,
Men' vivo? ut vivas igitur, vigila. -

Lethargum, Veternum & Hydropem pro eodem genere ægritudinis usurpari, non Medicus *Petr. Nannus* l. 4. Miscell. scribit, qvanqvã *Horatii* Epistola id non evincat, qvippe & hydropico vigiliæ prosunt, ut lethargo. Idem *Flaccus* libr.

de

de Art Poëtica, verum purgandæ bi[li]
tempus prodidit:

Qui purgo bilem sub verni tempor[is]
horam.

Æſtatis principium intelligit, qvo[d]
æqvinoctium vernum ſeqvitur. H[oc]
tempore etiam *Hippocrates* 4. Aph. [4.]
ſuperiorem ventrem potius φαρμακεύειν ju[]
bet, idq́; *Galeno* in Comm. docente[,]
qvia per id tempus humor exſuperan[s]
bilis eſt flava, & univerſa natura anim[a-]
lis propter calorem ambientem ſurſum
magis movetur. Vomitus autem levi[s]
præcipitur, qvo pura bilis educitur. A[t]
hæc de curatione fluxæ bilis agi, non d[e]
præſervatione, qvæ fit revulſione ad in[-]
teſtina, locum naturalem, rectè mone[t]
Petr. Caſtellus l. 1. Emetic c. 11. Ita
qvanqvam Medicus non fuerit *Horatius*,
Medicorum tamen præcepta ſeqvutus
eſt, qvæ meliores Poëtæ ſervanda ſva[-]
dent.

Hinc parœmia elegans apud *Phæ-*
drum Auguſti Libertum Lib. 1. Fab. 14.
de Sutore Medico:

Qvantæ putatis eſſe vos dementiæ,

Qui

Qvi capita vestra non dubitatis crede-
re,
Cui calceandos nemo commiserit pe-
des?

Symposius Poëta de papavere, malva, eta, cucurbita, cepe, rosa, lilio, ture, nyrrha, ænigmata proposuit varia, qvæ pud illum legi possunt, qvæq; ad illa no- avit *Josephus Castalio*.

Ex *Manilio* μελοθεσίαν addiscimus, h. e. in væ membra unumqvodq; signum cœ- ste jus habet, magni in medicina mo- enti, ut dignoscatur, venam in bra- hio non esse tundendam, si Luna sit in eminis, qvia brachia creduntur esse in tela Geminorum. Has μελοθεσίας dupli- ter considerari monet *Joseph. Scaliger* Not. Manil. aut ἐν ὅλοις σημείοις, aut ἐν μο- οιρίαις; illam hic *Manilius* l. 2. hanc ter priscus ille Ægyptius Necepso tra- avit. Insaniam hanc vocavit *Leo* I. Pa- , Decret. Epist. ad Turbium, ægrè fe- ns DEI imaginem hominem in tanta se obligatione siderum. Certè qvan- am ratio nulla ejus dari sufficiens pos- ,& non raro fallat eventus, scire tamen

expedit in gratiam curioſorum, qvi ve
nam ſecant & alvum ſollicitant certo ſi
derum poſitu. Rationem non video, cu
aries capiti, taurus collo, piſces pedibu
&c. reſpondeant. Caput noſtrum cornu
tum non eſt, nec collum taurinum, nec
pedes, qvi corporis molem ſuſtinent
molles. Brachia duo ſi geminis tribu
untur, cur aures, oculi, renes, pulmo
nes, teſtes, qvæ duplicitate gaudent
eiſdem geminis non ſubſunt?

Ad *Juvenalem* ſi regrediamur, mult
Satyra XV. nobis offert ruminanda. D
Ægyptiorũ enim ſuperſtitione in fingen
dis Diis ex horto irridens, abſtinentiam
illorum taxat, qvod & herbas & anima
lia in eſu parcant, ex qvibus tamen util
alimentum corporibus noſtris ſumitur
contra illa concedant, v. g. carnes hu
manas, ex qvibus morbi pullulant. Cre
dunt primò:

Porum & cepe nefas violare, ac fran
gere morſu.

Ex *Prudentio* eadem ſupra narravi
mus, cui cepe acerbum vocatur, & mor
dax allium. Ita *Perſius* Sat. 4.

tuni

tunicatum cum sale mordens
Cæpe, &c

Huc spectat *Symposii* Ænigma 44.

Mordeo mordentes, ultro non mordeo
qvemqvam,
Sed sunt mordentem multi mordere pa-
rati,
Nemo timet morsum, dentes qvia non
habeo ullos.

Deinde lanatis animalibus abstinet omnis Ægyptiorum mensa, qvasi religione Pythagorica. Solas Lycopolitas excipit *Plutarchus* l. de Isid. & Osirid. omnem prorsus carnem mactatam in esu damnat *Porphyrius* l. de Abstinentia & inter Christianos hodieq; Cartusiani Monachi, carne omni abstinent. Ægyptii solis ovibus parcebant, ne forsan gen' interire sinerent, qvo consilio Britanni tempore Qvadragesimali agninã etiamnunc inter vetitas carnes habent. At horrendum, qvod sibi licere putaverint,

Carnibus humanis vesci.

Supersunt inter barbaros Indos adhuc Anthropophagi, & olim apud quasdam gentes, teste *Petronio* in Sat. scimus le-

gem ſervatam, ut à propinqvis ſuis con-ſumerentur defuncti, adeò qvidem, ut objurgaverint ægros freqventer, qvod carnem ſuam facerent pejorem. Neceſſi-tate qvadam in obſidionibus idem edulii genus eligi, omnibus notum. Exempla paſſim proſtant. Apud veteres, Sagun-tini oppreſſi ab Annibale, humanas ede-re carnes. Petavii idem fecerunt in ulti-ma fame, nec qvicqvam aliud, judice laudato *Arbitro*, in hac epulatione ca-ptantes, niſi tantum ne eſurirent. Eodem narrante, cum eſſet Numantia à Scipio-ne capta, inventæ ſunt matres, qvæ libe-rorum ſuorum tenerent ſemeſa in ſinu corpora. Alii hoſpites hanc aliis carni-bus, lucri gratia, ob ſaporis ſvavitatem ſubſtituunt. Id memini in Gallia factum in artocreate, qvod per pediculos de-mum detectum. *Galeni* qvoq; tempore comperti ſunt hoſpites & coqvi com-plures, qvi humanas carnes pro ſuillis venderent, tametſi qvi eas ediſſent, nul-lum omninò diſcrimen perceperint. Qvin teſtatur idem l. 10. Simpl. Med. Facult. audiviſſe ſe narrantes viros fide-

dignos

dignos ſeſe in diverſorio publico jus eſitaſſe delicatum cum carnibus ſvaviſſimis: cæterum cùm jam penè ſaturi eſſent, inveniſſe digiti partem anteriorem. Sed & in ipſo facinore homines mactantes deprehenſos, non ita multò poſt referebant. Crudelia iſta facinora qvis non deteſtetur? Quanqvam verò ſvavis is videatur cibus, luis tamen venereæ inde originem advocat *Floravantius* Empiricus lib. 1. de Capricc. Medicinal. c. 27. qvia in obſidione urbis Neapolitanæ 1456. clanculum, ciborum penuriâ, mortuorum carnes variis modis præparatas tam obſeſſi qvam obſidentes comederant. Didicit qvoq; experientiâ in animalibus, porco, cane, milvo, ave &c. corrumpi, puſtulis turpari, doloribusq; cruciari, ſi carne ſuæ ſpeciei alantur. Qvæ ſi vera ſint, mirum non eſt, qvod in India familiaris hic ſit morbus, ex qva in Europam migraſſe creditur, qvia carnibus humanis veſcuntur barbari. An ſatis ſit tuta fides *Floravantii*, non auſim dicere. *Fr. Valleriola* l. 3. Obſ. 2. deceptum inde qvendam ſumto elleboro

conqveritur. Porcos in porcorum mortua corpora debacchari sine noxa observamus, ut de aliis nihil loqvar. Suspicor veneni alicujus admixtione infectas fuisse carnes. Enimverò exsectis captivorum cæsorum cordibus, veneno imbutis in aqvas immissis, à Tartaris, primo Plicam ortam & plures periisse refert *Spondanus* ad Ann. 1287 & non ita pridem *Joachimus Pastorius* l. 2. Flor. Pol. c. 14. in historia Lesci Nigri.

Persius Sat. 3. febrem descripturus, à neglectis Medici præceptis Symptomata mala insecuta tradit. Jussus reqviescere, tertio die pulsu moderato, & vino abstinere & balneo, surrexit, vina surrentina bibit, turgidusq; epulis lavit. Hinc pallet, lutea pellis à bile diffusa surgit, albus aqva intercute venter, fœdi sulfureiq; anhelitus, tremor manuum, dentes retecti macie, vomitus pulmentariorum & tandem ad mortem unctus & pollinctus. Ibidem *Persius* molles juvenes à parsimonia alienos detestari qveritur betam & olus & farinam populi cribro decussam. Betam plebejam vocant,

raden-

radentem fauces, utilem tamen, si sapuissent, pigro ventri, qvem desidia efficit. Hinc fabrorum prandia hæc dicuntur *Martiali* l. 13. Ep. 13. qvia betæ emolliunt ventrem igne torridum. Vel sanè ulcus in ore putre abstergere & digerere potuissent ob nitrosam facultatem illis à *Galeno* concessam l. 8. Simpl. Med. fac. De olere & pane cibario miror juvenis insanam gulam, qvi dixitq; fecitq; qvod ipse

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

Durum olus vocat, qvod molle *Plinius* l. 27. c. 8. lene *Scribonius* c. 99. leve *Marcellus* c. 30. minutum *Celsus* l. 2. c. 30. ex mollientibus compositum, urtica nempe, lapatho & malva apud *Scribonium* l. d. vel ex lactuca aliisq; ab *Apicio* l. 3. Rei Cul. c. 13. descriptis. Non mirum tibi, insane juvenis, durum esse, qvia positum algente catino. O stulte! subjice ignem ut coqvatur ad mollitiem, vel consilio *Flacci* l. 2. Serm. 6.

Uncta satis pingvi ponantur oluscula lardo:

vel deniq; piper, oleum, vinum aliaq; ca dito ex præscripto *Apicii* l. d. Qvia æg es, olus tibi pro medicina erit. Ita P*la tus* Captiv. A. 1. S. 2.

H. Multis oleribus, P curato ægr domi.

Panis ex farina populi cribro decu cibarius seu confusaneus, reliqvis pr ferendus, licet admixti sint furfures i cura sanitatis. *Simeonis* enim *Sethi* o servatione lit. ψ. minus obstruit, & fac lius per alvum secedit, qvia furfures, c facultatem detergendi, intestina irrita ad dejectionem. Hinc vegeti & robu sti qvi eo vescuntur, minusq; morb obnoxii.

Cum hac occasione panum pinsendo rum ad P*lautum* transire possimus, lube de Pistoribus nonnulla afferre ad eum i lustrandum. Varia pistorum genera re censet in *Captiv.* A. 1. Sc 2. sed militariũ

Multis & multigeneribus opus est tib
Militibus, primum dum opus est pisto
riensibus.
Eorum sunt genera aliqvot pistorien
sium.

Opus

Opus paniceis, opus placentinis qvoq;
Opus turdetanis, opus est ficeduienſibus.

Act. 4. Sc. 2. adduntur piſtores ſcrophipaſci, qvi alunt furfuri ſues. Ipſe *Plautus* vel Piſtor dicitur, vel piſtori operam locaſſe. De eo verò verba fieri negat *Fab. Strada* Prolus. Acad. l. 3. Præl. 2. Plaut. i. qvi panes publicè conficiat, aut venales exponat, hoc enim genus artificum Romæ non fuiſſe Plautino ævo diſcimus ex *Plinio* l. 18. c. 11. Piſtores Romæ non fuerunt ad Perſicum usq; bellum, annis ab urbe condita ſuper qvingentos octoginta, ipſi panem faciebant Qvirites. Mulierumq; id opus erat, ſicut etiamnunc in plurimis gentium. *Maximè* in Codice *Chifletiano* feminas ſolas excludit. *Plinio* qvidem de mulieribus adverſatur *Plutarchus* in Qvæſt. Romanis, narrans poſt raptum Sabinarum pace reſtituta id qvoq; in pactis ſcriptum fuiſſe, mulierem Viro Romano neq; molere nuptam debere, neq; coqvere. At *Marc. Zuer. Boxhornius* putat hoc pactum diu non eſſe ſervatum, qvia dicit *antiqvitus*

tus &c. Rectius de opſoniis, non pane ex mente textus Græci, accipiendum. Seqventibus ſeculis publicum Piſtorum fuit Romæ Collegium, certo piſtorum numero definitum, ſicut & apud nos ii uſu eſt. A tutelis illi excuſantur *ff. de Excuſat. tit.* 1. *l. ult.* ſi modo per ſeme piſtrinum exerceant. Pinſebant enim farinam in piſtrino, *Plinio* docente, ante molarum inventionem. Urbici Piſtores eadem lege §. 1. à Collegarum qvoq; filiorum tutelis excuſabantur, ea tamen cautione ſi non haberent in urbe fixum domicilium. Militares Piſtores alii erant, qvos ſeqvi militiam prohibuit Peſcennius Niger, bucellato pane jubens milites & omnes contentos eſſe, *Spartian.* in Vita Peſc. Nigr. Biſcoctum hunc fuiſſe panem *Salmuth* ad Panciroll. Deperd. Tit. 52. ſuſpicatur, dictum Nauticum, in longis peregrinationibus etiamnunc uſitatum, qvem malè ingratiſſimum cibum, famelicis tantum proprium, appellat *Bryerinus* l. 6. Rei Cib. c. 10. Inter delicatos enim numerat *Athenæus*; qvos tamen aliter paratos credit *Lud.*

Non-

Nonnus l. 1. Rei Cib. c. 6. Certè ſtoma-ho militum nautarumq; roborando val-è appropriatus eſt nauticus. *Plinio* enim 22. c. 25. ſiſtit alvum. *Theodoro* Me-icoin Diæt. c. 2. exſiccat. Freqvens in nedicina eſt *Plinio Valeriano* l. 1. c. 6. *The-doro Priſciano* l. 2. p. 1. c. ult *Gariopon-o* l. 2. c. 16. Qvo in pretio ſint, & qvo nodo ſimiles conficiantur apud Norwe-os, in *Med Dan. Diſſ.* 6 diximus. Pa-em rubidum *Plautus* vocat Caſin. Act. 1. c. 6. malè, parum coctum ex Feſto *Ja-us Douſa* explicat. Torretur enim in-ar biscocti. Ita qvippe *Comicus*:

Una edepol operâ in furnum calidum condito,
Atq; ibi torreto me pro pane rubido he-(ra.

Qvid raſus venter ſit *Plauto* in Prol. Pſeudol. exponit *Chifletius* l. 1. dædalm. . 8. nempe venter famelici, qvia velut orraſus eſt & divulſus ob alimenti penu-iam & ſuctionem. Ex *Lucillio* l. 15. pud *Feſtum & Nonium* id illuſtrat:

Gallam bibere, & rugas conducere ventri.

Propter adſtringendi vim galla ven-

trem

trem coarctat. De eadem media in Pseudolo Act. 3. Sc. 1.

Cras mihi potandus fructus est fullonius.

Qvod de galla qvidam, nonnulli de virgis ulmeis qvibus excutiebant vestimenta fullones & servi verberabantur, alii deniq; de vino aspero & nigro interpretantur. De somno meridiano controversiam inter Medicos diu agitatam dirimit Simo senex *Mostell.* A. 3. Sc. 2.

Non bonus somnus est de prandio.

De prandio, h. e. vix absoluto prandio; ita enim particula *de* accipienda sicut apud *Ciceronem* l. 8. Epist. ad Att. & *Terentium* Adelph. A. 5. Sc. 3. de nocte, pro extrema nocte legitur. Spatium autem, si intercedat, damnari non potest, præsertim in senibus, æstatis tempore. Ita *Varro* l. 1. R. R. c. 2. in sititio somno meridie æstivo die si se non diffinderet, vivere non posset. De qvo loco videndus *Scaliger* in Notis, & *Victorius* in Explic. suar. Castigat. Libertis idem indulsit *Alphenus* L. Medicus 26. ut acqviescerent meridiano tempore,

e. Præter & decorum & valetudinis ommodum *Catullus* Carm. 33 pransus acens & satur supinus, ad Iphithillam ptat venire meridiatum. Qvod in obcœnis erat; cum ea consvescere desideabat. *Celsus* l. 1. c. 2. longis diebus meidiari potius ante cibum svadet, sin mius, post eum; qvam lectionem contra *Casp. Hofmannum* somni meridiani fauorem l. 5. Instit. c. 32. authoritate *Hipocratis* nostri in *Notis* ad *Celsum* defenimus. Infinita alia ex *Plauto* excerpi ossent, de corde lienoso *Cas.* A. 1. S. 7. De morbo qvi sputatur *Captiv.* A. 2. S. 7. x hujus census plura, nisi properandum sset.

Apud *Terentium* Adelph. 5. S. 3. inter œnas recenset Demea, meridie ipso tipulam colligere, qvia nativâ faciei ulchritudine vitiatâ, tam atra redditur qvam carbo est. Alibi Geta Act. 3. Sc. 2. Syro minatur.

Sublimem medium arriperem, capite primum in terram statuerem,
Ut cerebro dispergat viam:

Gravis indignatio, sed sine effectu futura,

tura, nisi vis magna accesserit. Pro lu[illegible] enim habent pueri capite niti sublatis p[illegible]dibus. Tam fluidum non est cerebrum, ut inversum diffluat viis sinubusve o[illegible]structis, nisi morbo affectum concida[illegible] eluaturq; contusione. Hujus singula[illegible] exemplum memoriæ posterorum tr[illegible]dam. In prædio Nobili & splendido *Ol[illegible] Rosencranzii* de Egholm, Fautoris m[illegible]gni, non genere minus qvàm literis i[illegible]clyti, servus stabuli 24. annos natus A[illegible] C. 1666. mense Majo percussus ab eq[illegible] calce in dextro bregmatis osse, craniu[illegible] confractum & apertum ostendit. Ho[illegible] erat à meridie qvinta. Noctem seqve[illegible]tem supervixit, magno cum capitis d[illegible]lore & vomitu molesto, rationis compo[illegible] Mane in agone constituti nares cere[illegible]brum molliusculum stillarunt insigni co[illegible]pia ad libras duas & amplius. Omni it[illegible] cerebro evacuato expiravit; qvasi ill[illegible] qvi apud *Comicum* per nares oculos e[illegible]munxit. Nisi me fallit conjectura, vehe[illegible]menti concussione cerebrum in se conci[illegible]derat. At cur per nares profluxerit, ra[illegible]tionem non video, nisi os ethmoides fue[illegible]

it p. n. patentius justo. Conjecturam meam auget, qvod sanus ille qvasi per nares loqveretur. De pure nulla suspicio, qvia fœtor aberat, & brevis mora puri vel abscessui generando insufficiens. In simili qvippe casu stabularii gravi lapidis ictu saucio apud *Paræum* l. 9. de Vuln. c. 8. vigesimo primo die à vulnere saniei copia & abscessus notatus. Cerebrum verò posse ita diffluere qvacunq; causa externa vel interna, anus testatur, qvæ Monspelii, teste *Platero* l. . Obs. subitò Apoplexia tacta expiravit, cujus cerebrum in meninge crassa hinc inde fluctuavit, defluente qvoq; per apertam membranam dictam, liqvore spissiore albi pultis specie per universam faciem. Major ex hoc corporis situ metus in sano homine à sangvine in cerebro cumulato, unde Apoplexiam ortam dissectio docuit. Hoc modo Divum Petrum Apostolum in cruce expirasse Annales Ecclesiastici narrant. De qvo *Prudentius* περὶ στεφ. hymn. XII.

Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis,

Qvo

- Qvo spectet imum stipitem cerebr
Figitur ergo manus subter, sola vx. si
in cacumen.

Amoris venerei incommoda recense *Afer* Comicus Eunuch. A. 1. Sc. 1. ee qvo deniq; insania. At amoris veri sce amicitiæ laudes perseqvitur *Cyrus Theo dorus* Prodromus Cotycæus Phrygii Episcopus Poemate Græco de Amicitia. Inter alia sanitatem huic & pulchritudi nem tribuit. Digni versiculi sunt, qvi hi legantur, paucis cogniti, sed interprete *Hierem. Erardio*, qvi Lipsiæ 1598. hunc authorem nobis dedit:

Ego constituo humanam vitam,
Sanitas & pulchritudo ambæ amici
tiæ,
Ambæ amicitiæ opera, qvomodo sin
qværis? disce.
Si qvaternitas humorum habueri
convenientiam,
Benè se habet corpus, & procul sun
morbi.
Et si membrorum apta est figura,
Habentq; inter se ordine cohærentem
seriem;

Tum

Tum verò induit etiam colorem elegantiorem;
Pulcritudo vocatur hoc antiqvioribꝰ.
Itaq; sanitas & pulchritudo amicitiæ (sunt opera.)

De cœna parca senis chremetis Andr. Act. 2. Sc. 2.

Olera, & pisciculos minutos ferre obolo in cœnam seni.

Frugalior hic senex qvam ille apud *Satyricum* juvenis, olera non aversatur. Pisciculos qvoq; amat ætati senili ad siccitatem declinanti convenientes. An imbecilli stomacho facilius concoqvuntur, ut censent *Galenus* l. 3. Alim. Facult. c. 9. *Simeon Sethus* lit. I. sed jubet *Theod. Priscianus* l. 2. p. 1. c. 10. malvas & pisciculos anethino jusculo discoctos plena confidentia subministrare. Pisciculi aliàs vocabantur Christiani per contemptum, teste *Tertulliano*, qvos cum cruce insculptos annulis Corniolæ olim Batavi gestabant, ne eos nominis Christiani puderet. Eos descripsit *J. Smitius* in Oppid. Batav. c. 9. Frugalitatis igitur indiciú est pisciculus obolaris, non ille mul-

lus emtus precio servi mille ducem numis venditi, de qvo *Martialis* l. n Ep. 31.

- *non est hoc improbe, non est*
Piscis.: *homo est, hominem, Callio*
re, voras.

De *Martiale*, qvanqvam impuro nunqvam versu acumina nativa conspu cet, dictum volo Medicis, qvod de C micis ille, habere, si cum venia legatu non pauca qvæ possint decerpi. Lib ejus XIII. cui Xenia inditum nome in Materia Medica occupatur, ex q vel volumen nobis enasceretur, si h ageremus. In cæteris libris passim g nium iis Bilbilicus exercet, qvæ ad M dicum forum spectant. Indice digito singulis unum tantum notabimus. L. Ep. 12. 13. partum Cæsareum suis joc sè describit. L. 2. Ep. 15. 40. febrem si mulantes prodit. Ep. 35. rytii vasis m minit ad pediluvium, cujus figura apu *Cl. Salmasium* in Plin. Exercit. extat De νόσῳ θηλείας Ep. 84. egit *Casaubonus* i Epistolis ex *Thucydidis Scholiaste* ad lib 1. deq; morbosis eo sensu *Scaliger* l.

Au

Auson. Lect. c. 17. Psilothrum describit 3. Ep. 73. sacros pisces l. 4. Ep. 30. & amandi exercitium in febribus Epigr. 1. Symmachi Medici invisentis frigidas manus febrem excitantes l. 5. Ep. 9. Etruscarum thermarum laudes l. 6. Ep. 42. De familia ficosa seu ulcerosa l. 7. Ep. 70. De more dentes sepeliendi l. 8. Ep. 57. De juvenili Æsculapii facie l. 9. Ep. 18. De spleniorum abusu l. 10. Ep. 22. & supra l. 2. Ep 29. de hystericæ passionis remedio, nempe consvetudine conjugali l. 11. Ep. 72. cujus exemplum recitat *Jo. Beverovicius* part 3. Med. Vet. c. 14. ex *Dureto* Enarrat. in *Holler* 59. De voto febricitantium l. 12. Ep. 92. de dentiscalpio ex lentisco l. 14. Ep. 22. cujus qvoq; usum doloribus dentium cum inflammatione gingivarum mederi Medicis nostris observatum. De auriscalpio Ep. 23. dentifricio Ep. 56. myrobalano unguento Ep. 57. aphronitro Ep. 58. opobalsamo Ep. 59. lomento Ep. 60. maxillari Ep. 66. colo nivario Ep. 103. sacco nivario Ep. 104. & aliis alibi festivè ludit, qvæ integrum commentarium desiderant.

Inter Poëtas Christianam religione[m] professos *Claudianum*, *Ausonium* & *Pru-dentium* Medico religioso commend[a]mus. Et hic & ibi & istic inveniet qu[æ] præter religionem delectent.

De Gigantomachia qvæ canit *Claudi-anus*, ad monstrosa cum monstris gigan-tibus retulerim. Apud eundem in *Edy-lliis* multa leguntur Medico salivam mo-ventia, de Phœnice, Hystrice, Torp[e]dine, Magnete, in *Epigrammatib[us]* qvoq; de Mulabus Gallicis, de crystall[o] cui aqva inerat, de Podagro, de locust[is] de balneis variis, de hippopotamo.

Ex *Ausonio* posthæc nonnihil exce[r]pam, qvando ad Medicos Poëtas me co[r]do perduxerit, ne aliis injurius videar.

Prudentii metrum pium pariter est[&] doctum. In Psychomachia luxuriæ d[i]micanti rosas, violas & calathos affing[it] ut veros titulos ex re ficta eruat:

Sed violas lasciva jacit, foliisq; ro[sa]-
rum
Dimicat, & calathos inimica per a[l]-
mina fundit.

P.P. *Lilia luteolis interlucentia sertis*

Et ferrugineo vernantes flore coronas.

Violas designat qvæ ferrugine dulci pictæ sunt *Claudiano* l. 2. de Rapt. Proserp. scilicet in conviviis luxui ebrietatiq; litantes coronabantur. *Juvenal.* Sat. 15.

-- inde Virorum
Saltatus nigro tibicine, qvaliacunq;
Ungventa, & flores multæq; in fronte coronæ.

Et Sat. 9.

-- dum bibimus, dum serta, ungventa, puellas
Poscimus. -- --

Plautus in Pseudol. Act. 4. Sc. ult.

-- -- qvid video ego?
Ps. *Cum coronâ ebrium Pseudolum tuum.*

Et antea in Amphitruone A. 3. S. 4. Mercurius:

Capiam coronàm mi in caput, assimulabo med esse ebrium.

Eoq; dementiæ devenerunt, ut canes ipsos sertis coronarint in Dianæ sacris genio indulgentes Galli. Testis mihi est *Arrianus* de Venatione c. 34. qvem

Lucas Holſtenius non ita pridem publi[...]
juris cum verſione fecit. Cæterum v[...]
letudinis etiam gratia homines corom[...]
ornatos ſit veroſimile, qvia ex herb[...]
odoriferis contextæ coronæ, ut capi[...]
prodeſſent. Aſſeqvutus hoc myſterium
eſt *Plinius* l. 21. c. 3. Apud Græcos qvi
dem, inqviens, de coronis privatim ſcri
pſere Mneſteus atq; Callimachus Medi
ci, qvæ nocerent capiti: qvoniam & in
hoc eſt aliqva valetudinis portio, in po
tu atq; hilaritate præcipuè, odorum vi
ſurrepente fallaciter. Ita qvoq; de con
vivalibus coronis judicat *H. Columna* ad
Ennium p. 356. ut earum fragrantia fœ
tidos axillarum, ſudoriſq; odores, aci
dorumq; ex crapula ructuum occuparent
vel ut ſomnum conciliarent, vel ut cra
pulam vitarent. Hinc coronæ iſtæ e[x]
roſis, violis & liliis à *Prudentio* decan
tantur. Roſarum vis refrigerans nota
ex qvibus placentas fieri pro cucupha do
lentis capitis vidi. Odoris tamen ſvavi
tate maximè commendandæ, & humi
da virtute calorem meri temperantes
Mortuales etiam fuere. Sepulchra enim

iis decorabantur apud Græcos. *Anacreon* Od. εἰς ῥόδον:

> Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,
> Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.

h. e. *Qvid dicam, & illa multis,*
Medicina certa malis,
Nec inutilis ſepulchris.

Sed & nuptiales. Hinc apud *Coluthum* de Rapt. Helen. Venus dicitur ῥοδοδάκτυλος, roſeis digitis, Nam, ut *Corn. Gallus* El. 1.

Diligit & florem Cypris ubiq; ſuum.

Apud Latinos ſepulchris dicatam qvoq; roſam indicat vetuſtus lapis Torcelli, qvem *Hier. Magius* citat. l. 2. Miſcell. c. 17.

LONGIUS PATROCLUS SECUTUS PIETATEM COL. CENT. HORTOS CUM ÆDIFICIO HUIC SEPULT. JUNCTO VIVUS DONAVIT. UT EX REDDITU EORUM ROSÆ ET ESTÆ PATRONO SUO. ET QVANDOQVE SIBI PONERENTUR.

Augebat convivalem luxum luxuria apud *Prudentium*, qvod ſolis roſarum fo-

foliis uteretur. Eo enim luxuria proce-
ſit apud veteres, *Plinio* qverente l. 2-
c. 3. ut non eſſet gratia niſi mero foli-
Nempe maxima in foliis efficacia, qva i-
maximo luxu indigebant. Violam c-
ventriculi æſtuanti & oculis imponit *Ga-
lenus* l. 6. Simpl. med fac. Ebriis ſingu-
lare ex violis emolumentum deſcrib-
Plinius l. 21. c. 19. crapulam & gravedi-
nes capitis impoſitis coronis olfactuw-
diſcutiunt. *Macer* concinit c. 33. ut e-
uno fonte hæc fluxiſſe videantur:

*Inflammata juvant loca, tritas ſi ſu-
peraddas,*
*Crapula diſcutitur bibitis, capitis-
gravedo,*
*Olfactu ſolo, vel ſi caput inde coro-
nas.*

Ubi *Mſtæ* meæ membranæ ita pri-
mum verſiculum legunt:

*Inflammata loca benè prodeſt ſi ſuper-
addas,*

Forſan pro *loca* reſtituendum *locis*, u-
carminis leges ſerventur. Lilia vel pro-
priè dicuntur vel in genere de qvovis flo-
re eleganti coronario, ſicut *Matth.* VI. 28.

Spe-

Spectat huc melilotus, de qva qværit *Athenæus* XV. Deipnos. qva de causa Cratinus herbam ἀεὶ φερερὸν semper custodem vocarit? *Mercurialis* l. 3. Var. Lect. solvit nodum. Inter herbas enim coronarias apud veteres melilotum primas ferè semper tenuisse, ac ob id à Latinis modò sertulam, modò campanicam sertam vocatam. Qvia coronis ad sedandum ebrietatis fervorem institutis melilotus adhibebatur ex eodem *Athenæo* obtinuit nomen qvod ab ebrietate custodiret. Sed properandum. In hymno 2. περὶ στεφ:

Contemptor æterni Dei,
Dum Dæmonum sordes colis,
Morbo laboras Regio.

Audacius qvàm securius hæc Divus Laurentius Tyranno auri cupido exprobrat. Aurum contemplatur, ut ictericus, de cujus cura ita *Cælius Aurelianus* l. 3. Chron. c. 5. aurum jugiter aspicere ægrotos alii præceperunt, sive aureos colores, hisq; operimentis utendum, si qvidem similia rapiuntur. Sordes sunt Dæmonis, qvia ex terræ visceribus intimis eruuntur. Unde arbor Proserpinæ in

inferno cum ramis aureis deſcribitur Claudiano l. 2. de Rapt. Proſerp.

Eſt etiam lucis arbor perdives opaci
Fulgentes viridi ramos curvata me-
tallo.

Has ſordes tanto ſtudio ſectantur mortales ſacra fame, cum tamen, ut verè *Rutilius* l. 1. Itiner:

Materies vitiis aurum lethale parandis,
Auri cœcus amor ducat in omne
nefas.

Invertere naturam conantur qvi id agunt, ut ſpe divitiarum ignobiliora metalla in aurum & argentum transmutent. Irritus hactenus fuit labor, ſed ſplendidus conatus. Inventam illam eſſe artem gloriatur *Marcellus Palingenius* prioris ſeculi Poëta in Zodiaco Vitæ Libro X. ſeu Capricorno:

-- qva non ars dignior ulla eſt,
Fingendi lapidem æthereum, qvem
ſcire prophanis
Haudqvaqvam licet, & fruſtra plebs
improba qværit.

Digna ſanè materies Poëtis, cum Ilia-

com-

omparanda. Fabulis enim ſcriptorum nvoluta. Non Entibus annumerat *Guern. Rolfincbius* l. 6. Chym. Art. Red. c. 13. c certè ad non entia cultores ſuos pleosq; redegit. In ſecretione impuritatum em ſapientiores omnem conſtituunt, ut atens in ignobilioribus metallis aurum liciatur. Sed niſi eos calculus fallat, in ecretione impenſæ ſuperant qvæſtum, qvem in mixtione metallorum potius qvàm tranſmutatione qværendum Magius in hac arte Magiſter mihi faſſus eſt. Sed qvò prolabor? à Poëtis ad Chemicos. Illos amo qvod Medico differendi, hos qvod laborandi dent occaſionem. ta inter utrosq; communia ſunt ſacra,

Diverſum qvamvis qvisq; ſeqvatur iter.

Dices: neglectum hic eſſe *Ennium* ntiqviſſimum, ex cujus ſordibus aurum collegit *Virgilius* Chemicorum exemplo. Sed dato ſtudio *Ennii* memoriam reticui, ne cum illo Medici mero incaleſcant, aut ſomnient nimium, qvanqvam in Æſculapii fano nonnihil indormire debeant. Cæteros de genere hoc

ſive

ſive antiqvos ſive novos Medicus, ut o oblectamenta, reliqvis artis laborib feſſus, legat, qvod etiam in cœnis gra dibus ſæpè facimus, ſicut eleganter *F bius* loqvitur l. 10. Inſt. Orat. c. 1. ut cù optimis ſatiati ſimus, varietas tamen n bis ex vilioribus grata ſit: Tunc & el giam nobilis alicujus Poëtæ vacabit i manus ſumere, vel elegiam imitari.

Ita enim ab ingenio & Poëtarum l ctione inſtructus Medicus non pote non ſubinde ad imitationem deflectere & rerum Medicarum ſcientiam verſib implicare, qvod concedit *Ariſtoteles* l de Poët. c. 1. omni ævo uſitatum. Qvo cum Medicis ſvadeo, nolim pro carmi nibus intercedere, qvæ veterum ſuper ſtitio ad morborum expurgationem fin xit magica, ut putantur. Sunt qvi Poëti affingant, qvod præcipui illorum vate fuerint μουσομάντεις, tum magi, imò & ſor tilegi & λυκάονες, qvod concedi ſibi *Je rem. Hoelzlin* in Præf. Apollon. Rhod. ab illis putat qvi *Homeri* νεκρομαντείαν & *Theocriti Virgiliiq;* φαρμακευτρίας intelligunt. Diffiteri non poſſum carmina hu-

jus-

usmodi magica olim in pretio fuisse, omnibus autem Poëtis propria ea non ausim assignare. De aliis alii viderint, nos nostra persequamur. Primum verò illa carmina Medica magica ab anili plebe usurpata, mox à Medicis seculi sui genium seqvutis. De illis *Tibullus* l. 1. El. 5.

Ille ego, cùm tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseq; ter circum lustravi sulfure puro
Carmine cùm magico præcinuisset anus.

Ita præcinere apud *Macrobium* l. 2. Somn. Scip. c. 3. dicuntur præstantes ægris remedia. Ubi rectè *Scipio Gentilis* Append. Not. ad Apul. addit voculam *mulieres* vel *anus*, ut excludantur Medici. Ἐπῳδὸς dicebatur talis femina, qvæ pueris ægris incinit, teste *Hesychio* & *Suida*. Ἐπῳδὴ verò ipsum est carmen, qvo restituitur æger apud *Sophoclem* & *Lucianum* in Philopseude, aliosq;. Olim apud *Homerum* decantata curandi ratio. Ulyssi enim ab apro vulnerato sangvinem

nem ab Autolyci filiis repressum fuiss carmine testatur *Odyss.* 19. Ita *Plinius* l. 28. c. 2. Dixit *Homerus*, profluvium sangvinis vulnerato femine Ulixem inhibuisse carmine: Theophrastus ischiadicos sanari: Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari; M. Varro podagris. Medicæ hæ artes vocantur *Silli* l. 5. ubi de seniore Synalo perito:

-- -- ferrumq; è corpore cantu
Exigere. -- --

Illa certè & Medicos posteriores pestis infecit, ut pro remediis carmina haberent. Q. *Serenus Sammonicus* Medicus peritus, & *Alexander Trallianus*; ille superstitione vulgi, hic peregrinorum, qvos in vario itinere inviserat, seductus, miracula carmini tribuerunt ab occultis verbis. Nec alii Christiani dubitarunt sacra verba metro inserere, iisq; ad curationem morborum abuti. Hinc ad Epilepsiam vulgatus versiculus:

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum,
Hæc tria qvi secum gestabit nomina Regum,

Solvi-

Solvitur à morbo Chriſti pietate caduco.

Nihil hodieq; vulgatius in Iſlandia. Cantilenis & rhytmis effaſcinare norunt omines, & à morbis iterum liberare. Rhytmos facili & nervoſo ſtilo componunt, qvibus morbos tam corporis qvàm nimi excantant. Exhibebo in gratiam urioſi Lectoris aliqvod horum ſpecien tanto confidentius, qvod in verbis ullum peccatum videatur, an in modo el uſu, penes alios eſto judicium. Houm verò rythmorum beneficio *Kolbeus Grimerus* Iſlandus 1667. malum ſpitum ex *Magno Jonæ* Iſlando expulit feciter, qvem qvidem ſpiritum vel hypohondriacum affectum vel epilepticum uiſſe ſuſpicor, ſub qvibus morbis ſpiriıs malus deliteſcere creditur, obſervai enim non ſemel ejuſmodi affectus vel ulgo vel religioſis impoſuiſſe qvaſi à Dæmone orti eſſent, aut Dæmonem comiem haberent, propter ſymptomatum ffinitatem. Operoſum eſt carmen, qvia agnificè expelli vult genius malus ſi vando hominis ſanitatem turbat. Non

car-

carmine sed forti medicamento purga-te istam curationem, me præsente, Neapoli *M. Aur. Severinus*, & Patavii *Jo. Dom. Sala* peregerunt, rati qvod res e[x]purgata sentina corporis, in qva ut subjecta vel morbus vel genius stabulatur, salva omnia fore. Atqvia tanta Islandorum fama est carminum, rythmos ejusdem *Grimeri* pios, mihi à Consultissimo Viro *D. Petro Resenio* communicatos non gravabor apponere, modò non gravetur Lector inspicere, vel ignoscere:

Primum genus Carminis.

1. JEsu dreire / dande og pijn /
Dyrmæt for Hiemist an Pijn /
Sigurviningen sie pad mijn /
Salar nœring og heilsuvijn.

Cæteras hujus primi generis strophas ne tædium pariam peregrinam dialectum legentibus, omitto, versione latina contentus.

1. O Jesuli unda, mors & crux,
Pretiosaq; redemptio
Victoria qvæso esto mea,
Animæ refrigerium & salutare meorum.

2. San[...]

Sanctitatis tuæ vestis,
Domine Jesu, redemptor,
Esto Panoplia vitæ animiq; mei,
Corpus & animam sustenta.
Fretus tuo nomine
Dilectissime Jesule,
Certa prodeo sic fide,
Auxilio tuo mihi subveni.
Memor promissorum tuorum
Qvæ credentibus dedisti,
In nomine qvod tuo
Rebelles Dæmones sint ejecturi.
Hanc mihi da victoriam
Æterne Jesu Deus & homo,
Ut Satanam infamem
Ejicere & profligare qveam.
Spiritus sanctissimi afflatu
In bonum cedant conatus mei,
Ut victoria optata potiti
Laudes celebremus jugiter tuas.
Magni Jonæ meminisse decet
Qvem gravis vexat afflictio,
Hostis infensissimi spicula acuta
Valdè animum ejus & cor vulnerant.
Adauge nobis illibatam fidem
Pervigiles in spiritu preces infunde,

Patientiamq; deſiderari haud ſini[illegible]
Qvacunq; urgente neceſſitate.
9. Omnes addam non fucati
Vires animi & verborum,
Anima, mens & cor adeſte,
Junctis viribus aſpirate.
10. Contra hoc Pythonis miſſum org[illegible]
num,
Venenatis & temerariis conatibus[illegible]
Brimnesvallenſem hanc domum i[illegible]
feſtans,
Contentioſum, temerarium, in[illegible]
ctum, indomitum.

Secundum Carminis genus.

1. Fader Frelſarans blida/
Fader Lansnarans lijda/
Fader Kiærleikans frida/
Fader ſem allt kan ſmida/
Fader en Frönſens Vida/
Fader gud hellgra tiida
Fader ſem friar quida
Fader virdſt An Ad hiida.
&c. &c. &c.

Hæc & ſeqventia hujus ſecundi car[illegible]
minis ita latinè ſonant:

1. Pa[illegible]

Parens Salvatoris optimi,
Parens redemptoris populi,
Parens amoris jucundissimi,
Parens qvi omnia vales creare,
Parens mundi universi,
Parens autor festorum dierum,
Parens qvi tristitiam levas,
Parens hic qvæso exaudi,
Preces meas devotas.
Virum hunc ægrotantem
Indue veste qvietis,
Talem ipsius age curam,
Ut grex fallax Pythonum
Profligatus recedat,
Sicut caligo dissipatur
Zephyro vehementius flante.
Sic fugam capessat
Plenus miseriis & morbo,
Vinctus timore & anxietate
Fraudis machinator,
Ab omnibus delusus,
Ludibrium omnium & fabula.
Indormito capite demisso
Diaboli infernalis putredo.
Qvid tibi voracissime aqvila
Cum Dei creatura,

Omnes tibi talem incutiant
Timorem, ut horrore marcescas.
Fraudulentissime fallacium patrone
Pace nusqvam fruare,
Nec domi, nec foris,
Timidus ut tremulus lepus.
5. Aditus ad pacem sint occlusi,
At Aqvilonis inferiora petas.
Qvævis corporis tui particula
Flammis inseparabiliter adhæreat;
Orci fauces se expandant,
Absorbeant fraudum auctorem,
Semper magis qvam minus,
Qvod unusqvisq; vovet.
6. Qvalis sis immunde Spiritus,
Hostis an ater inimicus,
Missus an sponte veniens,
Volens præsenti homini nocere,
Sis arctè colligatus
Æternumq; constrictus.
Verba mea sint rata,
Immota & irrevocabilia.
7. Osit te Deus cœlorum
Osit te chorus Angelorum
Osit te omnis homo.
Osit te Ecclesia vera
Osit

Osit te qvævis creatura
Osit te ut anathema
Osit te qvocunq; sis loco
Osit te ad gressus minimos:
8. Invisus cuivis Dei creaturæ
Invisus vento & malaciæ
Invisus fontibus & fluviis
Invisus qvadrigis & aurigis
Invisus cuivis Dei creaturæ,
Invisus oculatis & cœcis,
Invisus aciei & cuspidi,
Invisus cervis & cervabus.
9. Ultio te gravis manet
Ultio æternum duratura,
Ultio infernalis hostis
Ultio in malos spiritus,
Ultio in vincla te conjiciat
Ultio nullo ævo terminanda.
Ultio omnis generis
Ultio tibi valdè difficilis.
10. Ignis divinæ iræ
Exurat te nebulo exsecrande
Averni locis exposite
Barathri pœnas sustineto
Ejusdemq; angves socii,
Omnia tibi crux & dolor,

Infinito tempore immorare
Donec orbis circulum confeceris.
11. I hac, illac,
I celeri pede
I in æternum ſupplicium
I in infernale balneum,
I in focorum congeriem,
I ad Joklæ glacies,
I in ardentem ignem,
I in voraginem maledictam.
12. Præceps in fugam eas jubeo,
Plures te perſeqvantur
A ſummis nubibus
Ad ima usq; tartara,
Odium infernalis pœnæ
Nullo loco tutus
Omnia te fatigent
Et exurentes cruciatus foveant.
13. Apage te hinc nebulo litigioſe
Ad extrema redacte,
Æger, lacer, oppreſſus,
Punitus miſeris inteſtinorum tormentis,
Procul à te ſalus, fortuna,
Potius infortunium & viciſſitudines adſint,

Flam-

Flamma tibi tegula ſit,
Hisq́; obrutus qvieſce.
14. Sic te, antagoniſta, eo redigam
Ut mihi majori cedas
Per Jeſu acerbum ſudorem
Per lacrymas, ardentesq́; preces,
Victoriam contra te ſpero
Cœleſti ſatellitio ſtipatus,
Te angore convictum
Æternis pœnis exponam.
15. Præbe his attentas aures
Et timorem hinc majorem cape,
Hic ſermo vinclo te conſtringet
Trepidantem in fugam conjciet,
Aſtutiſſima adulationis ſentina.
Ad extremum rediget inferni fæx,
Vach aures obtundat tuas,
Pauculaq́; his inſuper addam.

Tertium Carminis genus.

1. Gruten grid briotur /
Gradug o̊naden
Oll þig A falle
Adur forſmadan
Ludur Lamadur
Låde Af hriådur /

Hallden hel kolldum
Håd: kalldrådur.

Qvæ, uti & seqventia, ita interp-
tari licet.

1. Scelestissime pacis desertor
Vehemens disgratia
Omnis te certò manet
Antea spretum satis,
Divexatum, attritum
Terræ qvovis angulo ejectum,
Detentum mortis faucibus,
Delusum, pessime consultor!
2. Væ Zona tua sit,
Ignominiâ discincte,
Hæc ut eveniant obtestor
Omnia & singula,
Ligate voracissime canis,
Inexplicabili execrationis fune
Ultro citroq; agitate,
Vah, hostis infensissime.
3. Ach spectrum mortiferum
Spargens fulmina nebulasq;
Qvibus filios Dei anhelas
Lædere homicida
Arctissime detentus
Necromantiæ solidissimâ serâ

In

In abyſſum detruſus.
Væ tibi hoſtis infenſiſſime!
2. Dæmon impudentiſſime,
Spectrum inviſum
Hiſtrio infenſiſſime,
Serpens timidiſſime
Architecte malorum perfectiſſime,
Fallaciis inſtructiſſime,
Porcelle fraudulentiſſime
Væ tibi hoſtis infenſiſſime.

Qvartum carminis genus.

1. Fardu bardur frå hiord /
Fleingdur ſtreingdur ſo ſleingdur
Nidur J Svida Niidglod /
Naktur hractur Ømaktur /
Elldi ſkelldur ills Walldur /
Argur hundvargur þo kargur
Svei þier hiedan ſvartnyd
Sekur mein Vekur ſo frekur
Ollum illradur
Er þoforſmadur.

Hæc cum ſeqventibus ita latinè leguntur.

1. Cede hinc ab hoc grege
Colaphis onuſtus, diſtentus, ejectus,

In infernalis flammæ focum
Nudus, profligatus, sollicitatus,
Ignitis cæsus virgis, malorum scaturigo,
Cunctabunde canis à voragine cæbris,
Væ tibi hinc aterrime,
Tibi reo immanis periculi,
Malus omnibus consultor
Hincq; maximè exosus,
Apage te confestim, adulationis la
Fugitiva sine pace, (
Neqvam, faber tristitiæ,
Vinctus in æternum.
2. Ignominiæ turpis ingens poena
Utinam te possideat, pessundet,
Æternum vagus oberrabis
Scelus, vitiorum cumulus,
Transfuga inqvietissime.
Saucium anxietateq; trepidantem,
Vacillantem, lacerum
Disturbet, fatiget summa iræ divinæ
ApageTe, versutissime spiritus
Confestim ex solo nostro.
Sintq; rythmi mei Tibi
Viæ antiparastes, Satana,

Per-

Perverſum te caſtigantes
Æternumq; cruciantes.
Nullus finis ſit ardentiſſimæ flammæ
Veſani, obſeſſi, exorbitantis,
Sis vinctus, cæſus valdè
Innumeris ignominiæ vinclis,
Omnibus omninò deſtitutus
Bonorum arbitrorum gratiis,
Occluſus, enervatus, circumſeptus
Vitiis validisq; perſecutionibus;
Verba hæc mea firma ſint
Valideq; oris ancipiti roborata,
Qvin te ſaucium confeſtim
Vulnera infligant maxima.
Exſecrabilis hic tenebrio
Deſtituatur viribus & valore.

Qvintum Carminis genus.

Fiande Svidings allt þier ad
Og Vmþeringandi Verde
Ande Nidings bolvad bad
Bolſtadur þiu verde.

Ita vertenda iſta cum ſeqventibus:

O Satana, omnes te res
Conſtrictum arctè teneant.
O ſpiritus deſolator, orci balneum
Sedes tibi aliqvando ſit.

2. Emi-

2. Eminens olim omnibus voluisti
Etiam Angelis excelsior esse.
Elati hospes animi, tanto tua
Reputatur major ignominia.
3. Hinc inflatum te superbia extinx
Submerso fraudum Architecto,
Insatiabilisq; dignitatis appetitus;
Bonorum omnium attulit jacturam
4. Certè indelebilis infamiæ macula
Inuretur vafro huic generi,
Enormibusq; vitiis obrutus
Detrudetur in abyssum insatiabilem
5. Sermo meus fugienti calcar addet
O Satana timidissime.
Laboris tui finis & terminus
Nusqvam locorum inveniatur.
6. Vulneribus tandem scatens aufuge
Expulsus à Vallensibus
Ad ima qvæq; delatus
Perpetuo mœrore conficiaris.
7. Nomen Jesu benedictum
Diu conservet Magnum.
Hisq; Rhythmis sic finitis
Manum nos de tabula.

Hactenus Islandus Poëta, in qvo ni-
hil invenias, qvod vel magiam sapiat ve-
im-

npietatem, qvanqvam aliorum ejus-
em generis carmina hac integritate non
ommendentur. Cæterum qvæcunq;
emum curatio per carmen suscipiatur,
amnatur passim à rigidioribus. *Sopho-
es* enim has ἐπῳδὰς Medico haud sapi-
nti ascribit. Ita enim per interpretem
oqvitur in *Ajace*.

Dolori acuto immurmurare carmine
Haud à medente provenit docto, &
cato.

Non parum tamen proficiunt verba
ertis modis illigata & decantata cum
nimi qvadam vocisq; vehementia, qvo
nodo carmina hæc seu ἐπῳδαὶ cantaban-
ur. Afficit enim sensus debita proportio
erborum selectorum, & musicæ svavi-
as. Mira in animis hominum præsta-
e, nemo ignorat. Corpus qvoq; affice-
e, qvis dubitat? Nec diffamanda ideò
ro magicis, qvod ternarius numerus
ligeretur in recitando, sicut indicat *Ti-
ullus* l. 1. El. 2.

Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Vel enim efficaciæ gratia id factum,
vel religionis. Terna repetitione vis
ma-

major ægrotos afflat. Ternarius qvo
numerus facer erat. Ter in S. S. Trin
tatis venerationem Ecclesiæ benedicti
proclamatur. In baptismo Christiam
rum terna repetitio rituum qvorunda
usitata est ab ipsis penè Ecclesiæ incun
bulis. In Canone Ecclesiæ 170. de hæ
reticis conversis notamus singularem r
tum insufflationis ternæ: Tertio die, in
qvit, adjuramus eos, ter simul in facie
eorum & aures insufflando. Non dub
to, qvin ad Paganos simias ex Ecclesi
transierit ternarii numeri reverentia, &
usus in sacris & carminibus. De qvo Vir
gilius in Pharmaceutricis:

Terna tibi hæc primum triplici diver
sa colore
Licia circumdo, terq; hæc altaria cir
cum
Effigiem duco. Numero Deus impar
gaudet.

In medicina olim qvoq; ternarius nu
merus freqvens. *Plinius* l. 28. c. 4. Ea
dem ratione terna despuere deprecatio
ne, in omni medicina mos est atq; ita ef
fectus adjuvare: incipientes furunculos

ter

er præſignare jejuna ſaliva. Qvibus ſi-
ilia apud *Marcellum* Empiricum le-
untur, ut conſtet non malè veteres in
arminibus ternarium numerum amaſſe.
Cauti præterea fuerunt in hac incanta-
ione, propter qvam tam malè audiunt.
Prudentiores enim vel manuum auxi-
a vel herbas conjunxerunt. De filiis Au-
olyci teſtatur *Homerus* Odyſſ. 19. qvod
ulnus Ulyſſis prius ſcienter ligaverit,
oſtea ſangvinem nigrum incantatione
ohibuerit. Nempe ſola vulneris car-
oſæ partis deligatione, qvia ad os non
enetravit, ſanantur ſimplicia vulnera
aturæ ſolius benignitate, qvanqvam
ec carmina, nec, more ſeculi noſtri, pul-
is Sympatheticus, addantur. Vulnere
a ἐπισταμένως ſeu peritè curato, non mi-
um qvod per ſe ſangvis ille cohibitus
t, qvem Κελαινὸν vocat *Homerus*, nigrum
nterpretes, qvia denſatus in vulnere,
vod ideò *atrum* appellat *Silius* l. 6.
æc & ſimilia ita percurata, carminibus
ulcebant, ſicut noſtri blando ſermone.
oribus certè noſtris receptum in ope-
tionibus periculoſioribus & dolorificis
aſtan-

aſtantes habere vel Sacerdotes conſ-
lantes vel amicos ſvavi ſermone animu
ægri divertentes. Seniorem qvoq; S-
nalum unxiſſe prius vulnus herbaru
ſuccis *Silius* laudatus l. 5. prodidit, & d
Marſica gente alibi lib. 8. qvod norit

Vipereumq; herbis hebetare, & car-
mine dentem.

Virgilius qvoq; herbarum memin
Æneid. 7.

- *neq; eum juvêre in vulnera cantu*
Somniferi, & Marſis qvæſitæ in mon-
tibus herbæ.

Nec aliter *Lucanus* l. 6. Pharſal:

Carminibus magicis opus eſt herbisq;

Huc occultè reſpiciunt Runæ, Ma
noſtri veteres Septentrionales, cum R
nas ſuas arboreas, qvas ᛚᛁᛘ ᚱᚢᚾᛅᚱ
Lim-Runar vocant, noſſe jubent eu
qvi egregii Medici nomen ſuſtinere vo-
let, vulneraq; ex arte curare. Eas inc
dere oportet cortici, & foliis arborum
qvæ ſe verſus orientem potiſſimum fle-
ctunt & inclinant, ſicut docet ſummu
Antiqvitatum noſtrarum Vindex *Olau*
Wormius in Specim. Lexic. Runic. lit R.

Apu

Apud *Saxonem* qvoq; l. 3. Hist. Danic. Othinus carminibus cortice adnotato Rindam puellam lymphanti similem reddidit. Rectè orientis fit mentio. *Theophrasto* enim notante l. 2. Hist. Plant. c. 7. positus observandus ex æqvo qvem arbores nonnullæ habent, aut in Aqvilonem versæ, aut in meridiem, aut in Orientem.

Qvocunq; tandem colore inducantur carmina ista, imitari non debent Medici, qvia magica, nec alia qvibus levitate poëtica alii utuntur. Sed res vel naturales vel ad rem Medicam spectantes metro concludunt: & facilioris doctrinæ gratia, & ut memoriæ consulant, vel ut libentius legantur, vel deniq; ingenii exercendi ergo, varia comminiscuntur & ludunt, qvibus tempora sua vacua di-...ungant. Qvo consilio versiculis Antidotos suas descripserint *Andromachus* & *Damocrates*, jam jam dicemus. Non tamen valdè placet illorum industria, qvi vel Græcos Poëtas in latinam lingvam transferentes, vel Latinos Medicos expolituri, ligato sermone se ostentant

magis qvàm prosunt. Neq; enim ita Au-
toris sui vel genium vel ordinem vel di-
ctionem exprimunt, cum epithetis l-
sciviant & periphrasi contextum exte-
dant. Utriusq; dicendi genus diversum
est, Poëtæ & Oratoris. Placuit tamen
nonnullis numeros ubiqve sollicitare:
qvos suo sensu ingenioso abundare sini-
mus. Sed, ut ad rem redeam, Medi-
corum catalogum texam, tam veterum
qvàm recentiorum, qvi metri leges in
opusculis suis sibi præscripserunt servan-
das. Faciam tamen id sine lege & ferè si-
ne justo ordine, qvem in præsenti mihi
non proposui, cum Chronologia Medi-
ca aliam paginam postulet. Inter Poëtas
versari me scio, qvi nihil minus qvàm
temporum seriem seqvuntur. Annitar
tamen ne prorsus in his rudis videar.

Inter præcipuos Græcorum *Hesiodus*
est. De medicina ille qvoq; commenta-
tus fertur Cleodemo Medico apud *Plu-
tarchum* in Dioclis Symposio: Hesio-
dus, *inqvit*, in medicina plurimum valu-
it: qvod manifestè apparet cum de vi-
ctus ratione, de vini temperamento, di-
aqva-

qvarum vi, de balneis, de feminis, de
emporum connexione, deq; infantium
atu differit. De herbis qvoq; fcripfiffe
x *Plinio* colligit *Lilius Gyraldus* Hift.
oët. dial. 2.

Orpheus, cognomento Theologus,
rus Mendefius, *Heliodorus* Athenien-
s, Poëta Tragicus, *Aratus*, aliiq; à
aleno l. 2. de Antid. damnantur, qvod
ımeris confcribere aggreffi fint Com-
ofita medicamenta lethalia; nam doce-
eos magis & allicere eos qvi nocendi
roximis ftudio horum confectionibus
anum admoliri cupiunt. Iccircò for-
n *Galeni* ftudio fuppreffi ad noftram æ-
tem non pervenerunt.

Mufæi liber de Remediis Morborum,
ıdatus *Euftathio* Il. α. nufqvam extat.
Manethon Sebennyta Heliopolita-
s, Ptolomæi Philadelphi imperio flo-
ns, Phyfiologica Apotelefmata verfi-
s confcripfit *Suida* monente. Inter
a Mathematica, ejufdem Fragmen-
m περὶ νόσων Græcis verficulis extat in
bliotheca Medicæa Florentiæ literis
adratis; qvod defcriptum à fratre

Erasmio Bartholino vidi hoc principiu[m] habere:

Νῦν δ᾽ ἄγε μοι κȣ́ρη λιβηθρίας ἔννεπε Μȣ̃σα,
Ὅσσα φέρει νȣ́σοις ἀλγήματα δῖα Σελήνη.

Nicander Colophonius ſcripſit Al[e]xipharmaca & Theriacam ſive de ven[e]natis beſtiis, qvæ hodieq; manibus om[]nium teruntur. Verſionem latinam m[o]dam cum Scholiis procuravit *Johann[es] Lonicerus*. Poſt qvem *Euricius Cord[us]* Medicus Marpurgenſis in latinos verſ[us] redegit tanta artis Poëticæ confidenti[a] ut non dubitaverit majeſtatem ſui carm[i]nis cum Græco comparare. Non diffit[e]tur tamen ſe ab ipſa nonnunqvam ver[si]one parum diſceſſiſſe, imò & ordine[m] ubi commodum videbatur, mutaſſe; [in] Alexipharmacis enim venenatorum fu[n]gorum ultimam antidotum à fine, [Di]ctinnæ arborem, in ſuum locum, ubi ai[...] eorundem remedia ſunt, tranſpoſuit[,] aliaq; ſibi Poëtæ & Medico indulſit, q[ui] proſam verſionem magis extollunt. La[u]dantur *Nicandri* de viperis verſus è *G[a]leno* l. de Ther. ad Piſon. Scripſit præ[]terea verſibus ſenariis Curationum co[l]lati[...]

ationes & Hippocratis Prognostica. Julicio *Plutarchi* l. de Aud. Poët carmen, ion Poëma condidit. Nicandri ejusdem εωργικὰ, ἑτερειουμένων βιβλία πέντε, laudantur *uidæ* & *Apollonii* Scholiasti. Ετεροιουμένων cribendum monet *Janus Rutgersius* l. . Var. Lect. c. 18 Fuit id Nicandri Poma de illis, qvorum corpora in alias formas mutata fuerant. Ex qvo & *Tzetzes* c *Antonius Liberalis*, integras sæpe faellas narrant, eodem observante. Scrisit & de Europa libros, de qvibus *Atheæus* omnium authorum nomenclator *Heinsio* vocatus.

Andromachus Senior & *Damocrates* ompositiones notas, Theriacam & Aithridatium, aliasq; longo ordine à *Galeno* l. de Ther. ad Pison. & lib. 1. & 2. e Antidotis recensitas, numeris incluerunt, non solum qvod facilè teneri meoria possint, sed etiam qvod pondera c mensuræ in iisdem adulterari neqveat. *Andromachum* Neronis Archiatrum, armine elegiaco expressit *Jo. Guinteris Andernacus*, Medicus notæ famæ.

Oppianus sub Severo & Caracalla flo-

rens, festivo carmine, splendido casto explicat naturas, ingenia & mores animantium omnis generis ea felicitate, non tantum inter præstantissimos Poëtas, judicio Imperatoris Antonini Severi filii, ei locus post exilium datus, sed præterea pro unoqvolibet versu statere aureo sit donatus. Unde carmina ejus Aurea dicta. Extant hodieq; Κυνηγετικῶν sive de Venatione libri IV. & Ἁλιευτικῶν libri V. post *Brodæum* & *Bodinum* doctissimis Commentariis à *Conr. Rittershusio* illustrati cum Scholiis in Halieutica ex tribus Mstis codicibus. De Avibus seu Alcupio totidem libros dicitur composuisse, qvos Venetiis extare tradit *Conr. Gesnerus* in Bibliotheca, qvi Paraphrasin tantum auctoris innominati, qvem *Eutecnium* suspicatur, in duos libros divisam nactus est: figuras qvoq; aliqvot animalium vetustas in Bibliotheca D. Marci Venetiis libris de Piscatione & Venatione appictas, minimè Poëtæ descriptioni convenientes.

Heliodori Philosophi ad Theodosium Magnum Regem de Philosophorum myst-

mystica arte Jambi Græci in Bibliotheca Parisiensi & Bernensi servantur. In Parisiensi præterea codice alii continentur incertæ ætatis, nisi qvod ad Constantini Magni tempora referendos sit suspicio. Exscripsit eos *Olaus Borrichius* noster, publico aliqvando donandos. Sunt verò seqventes:

Theophrasti Philosophi de Divina Arte, Jambi.

Hierothei Philosophi de eadem arte Divina & sacra Jambi. Ejusdem de lapide Philosophorum Jambi.

Archelai Philosophi de eadem arte sacra Jambi Græci.

Philes de Animalibus Jambos fecit Michaëli Palæologo nuncupatos, qvos ex versione *Joachimi Camerarii* edidit *Georg. Bersmannus*, breves illos, ex *Aristotele* ferè desumptos.

Habeo fragmentum Botanici Anonymi Poëtæ, ex Bibliotheca Medicæa, ni fallor, ab *Isaaco Vossio*, exscriptum, in qvo vires Chamomeli, Rhamni, Artemisiæ, Qvinqvefolii, Dictamni, Centanrii majoris, Buphthalmi, Polii, &c. decantantur.

Lucianum penè inſcius præteriiſſe: qvi ſales ſuos etiam ad morbos ſparſi inprimis Podagram, qvam Satyrico w ſu perſtrinxit, in *Tragopodagra* & *O* *po.* Verſionem utriusq; latinam prim dedit *Jo. Sinapius*, qvam ita recogno *Joh. Benedictus*, ut ejus videri poſſit *Eraſmus* deniq; *Smidius* ligatam adl dit verſionem Tragicâ formâ operib *Sennerti* junctam. Ne verò rerum me carum rudis videatur *Lucianus*, præm ſis remediis qvamplurimis ex gene plantarum & animalium, ex carminibu Judæorum excantatione, tandem nil ſolari podagricos concludit, præter e ercitium & conſvetudinem.

Arabes non pauci carminibus rem m dicam ptopagarunt, ſicut ex Vitis ill rum conſtat per *Jo. Leonem Africanu* conſcriptis, qvæ in Bibliotheca Med cæa Florentiæ ſervantur. Ex illis exce pam qvæ ad noſtrum inſtitutum faciun

Aben Sina, vulgò *Avicenna*, Alen giola in Medicina, h.e. carmina brev ſcripſit, in qvæ Averroes commentatu eſt.

D

De *Tograi*, Philoſopho, Medico, Rhetore, Alchimiſta, Poëta atq; Hiſtorico, cujus Carmen Lamicum olim nobis in Academia Leidenſi *Jacobus Golius* Vir Clariſſimus, expoſuit, ita porrò *Leo Africanus*: Carmida ſeu cantica multa compoſuit, qvæ collegit qvidam ejus diſcipulus duobus voluminibus: aliqva in laudes principum Dominorumq́;; alia verò in amorem edidit. Nonnulla etiam moralia erant, qvorum cantionum unum magis publicum eſt, qvod primum Alcorani caput in Scholiis inſeqvitur, qvodq́; pueri propter ejus elegantiam diſcunt.

Raſis ſeu *Ibn Zohar*, patre Medico natus carminibus favorem Regis Marochi meruit.

De *Averrois* carminum efficacia, hanc hiſtoriam hiſtoricus Arabs refert: Qvadam die eo exiſtente cum amicis qvibuſdam, colloqventibusq́;, ingreſſus eſt filius ejus cum aliqvibus ſociis juvenibus, qvos cum animadvertiſſet Averroes, protulit duo carmina, hujus ſenſus: Rapuerunt pulchritudines tuæ, capreolo

pulchritudinem ſuam , donec mira
eſt omnis pulcher in te : Tibi eſt pect
ejus, & oculi ejus, & ſtupor ejus ; W
rum cras cornua ſua patri tuo erunt. P
qvæ dixit : Sit maledicta peregrinati
qvando eram juvenis, aliqvando patre
meum puniebam : Nunc auté Senex fi
um meum punire non poſſum. At Deu
deprecor, ut priuſqvam videam aliqv
contra voluntatem meam, eum mori f
ciat. Sicq; priuſqvam tranſirent menſ
decem filius ejus mortuus eſt, & maj
ſolus remanſit, qvi judex opinionis
ſectæ effectus eſt.

Ex ejus carminibus tantum duo rep
riuntur, hujus argumenti : Inobedien
fui voluntati meæ juvenis, at qvand
tempus cum calvitie ſenectuteq; agita
vit me, tunc parui voluntati meæ : Ut
nam natus fuiſſem ſenex & in juventu
te abſolutus. Reverſio qvidem poſitio
nis eſt.

Ibn Elchathib, Hiſtoriam Maumeda
norum verſibus compoſuit : Textum
Theologiæ carminibus edidit. In Phila
teria Margaritarum pretioſarum, recen
ſeba

bat omnes Poëtas doctiſſimos, artiſtas q; legiſtas, præceptores ſuos & pares.

Abulhaſan Medicus Regum Tes, rticulos Logices carminibus divulgait.

Abubahar Medicus & Poëta elegans, deò ut Rex promiſerit ei bona plurima, dictus Abubahar Regi reſponſum deit duobus verſiculis, qvorum hæc ſenentia: Præcepiſti mihi præſumtionem, vod eqvitarem mare, alteri qvam mii attribuito hoc conſilium. Non es tu Noë donec ſolvet me arca ſua, nec mius Chriſtus ſum donec ambulem ſuper qvas: Rex tali Reſponſo audito, riſit hultum, & ei pulchra munera dono deit, & ſcripſit; ſi vis venire bene eas, feliciter gradiaris, ſin autem, nolo ubere, te Noë aut Chriſtum fieri.

Inter Latinos familiam ducit *Lucretius* Carus. Is libris VI. Rerum Naturam x mente Epicuri, cujus dogmata *Diogeni Laërtio* Lib. X. notata ſunt carmine Heroico, ipſiq; Virgilio, ſicut probat *Macrobius* l. 6. Saturn. ad imitationem propoſito, penè totam exhauſit.

Con-

Conlectanea *Obert. Gifanius* in hu edidit, & amplos Commentarios p *Dionys. Lambinum*, confecit *Petr. Gassendus* de Philos. Epicur. ut *Jo. Nardiu* & *T. Fabrum* taceam, qvi aliqvid etia in hoc autore tentarunt. In medicin qvanta ejus fuerit peritia, præter cætera, indicat Lib. 6. de origine morboru & pestilentiæ, ubi & Athenienfium pestilentiam graphicè depinxit. Qvam qvam verò versus sit difficilis, censor *Qvintiliano* l. 10. Inst. Orat. c. 1. non diffusilis, ut emendat post *C. Barthium* l. 43. Adv. c 2. *Daniel Paræus* in Spicil Obs. Qvint. elegans tamen est in sua materia, &, ut loqvitur *Tullius* ad Q. Cic fratrem, multæ artis.

Gratius, laudatus *Ovidio* l. 4. Pont El. ult. Cynegeticōn librum latino carmine concinnavit, cujus tantum fragmenta supersunt. Tectè ejus meminit *Manlius* l. 2. Astron.

- - *& bella ferarum.*

Ovidius Naso inter Medicos adoptari potest, qvi ea ingenii magnitudine fuit, ut res medicas metro suo facillimè

com-

omplexus qvoq; ſit. De piſcibus enim choatum opuſculum reliqvit, ex qvo ultos *Plinius* enumerat l. 32. c. 2. & t Halieuticon inſcribitur. Elegia ejus e Nuce celebratur. Extat & de medimine faciei Elegia, qvæ in Vaticano iſto, de *Ornatu faciei*, inſcribitur. *Nicolaus Heinſius*, Naſonis genius, *Artem edicandæ faciei* appellare amat. Licet utem ea de re ipſe *Naſo* ſe aſſeveret ſcriſiſſe in Arte amandi:

Eſt mihi, qvo dixi veſtræ medicamina formæ,
Parvus, ſed curâ grande libellus, opus.

Id tamen, in qvo jam verſamur, poëna illegitimum & tralaticium nonnullis Viris doctis putatur, interq; eos *Lilio Gyraldo* l. 4. de Poët. Hiſt. Sed ſapit enium Poëtæ. Digna qvoq; materia Naſoni formarum ſpectatori. Medicum ibidem ſe monſtrat, in Coſmeticis verſaum. Nam ut facies ſpeculo levior fulgeat, recipit hordeum excorticatum, ervum, albumen ovorum trita & commiſta cum pulvere cornu cervi, narciſſi bulbos

bos excorticatos, gummi, semen Thu[illegible] & mel. Laudat & lupinos, fabas i[illegible] ctas, cerussam, nitri spumam, iridem [illegible] lyricam, & alia ibidem signata, qvoru[illegible] omnium probata in dealbanda facie v[illegible] tus Medicis innotuit. Recentiores aq[illegible] & oleo Talci splendorem augent. [illegible] margaritis, aliisq; pretiosis cosmeticum [illegible] *Panarolo* in Fasc. Arcan. probatum, p[illegible] vitam conservat pulcritudinem. Non [illegible] fuit plebejæ cretæ præstantia, de qv[illegible] *Petronius Afranius* in Epigr.

Dum sumit cretam in faciem Serti[illegible]
ria, cretam
Perdidit illa simul, perdidit & fa[illegible]
ciem.

Apparet verò hinc nitorem seu cand[illegible] dum vultum *Nasoni* placuisse, qvia fu[illegible] cum ex minio cum aceto destillato, qv[illegible] hodie Hispanæ feminæ utuntur, vel e[illegible] santalis rubris & alumine, qvod pro se[illegible] creto mulier Patavina habuit, ignoravi[illegible] vel sprevit. Sic trahit sua qvemq; vo[illegible] luptas. Diverso olim amore accensu[illegible] *Corn. Gallus* El. 1.

Can-

Candida contempsit, nisi qvæ suffusa rubore
Vernarent propriis ora serena rosis.

Plautus in Truculent:

Buccas rubricâ, cerâ omne corpus intinxti tibi.

Ubi *cretâ* legit *Phil. Rubeus* discipu-
is Lipsii, Lib. 1. Elect. c. 13. qvæ cum
ubricâ aptè jungitur. Nam uterq; color
 usu feminis.

Cur myrrham *Naso* reliqvis addide-
t, ignorare non porest, qvi ex *Galeno*
idicit l. 8. Simpl. Med. Facult. ad ulce-
 & crassas cicatrices præparari. Sed re-
etitio ingrata videtur vel frustranea in
oc versu:

Et modicum è myrrhis pingvibus adde cubum.

Igitur ex codice Neapolitano, Pata-
ino, Vaticano, &c. ita emendat *Nic.*
Ieinsius:

Et modicum mistis picribus adde thymum.

Rectè id & eruditè, Thymus enim
 Picris ad tumores & verrucas com-
endantur *Plinio* l. 21. c. 21. & l. 22. c. 22.

For-

Forſan etiam ob odoris ſvavitatem tl[...] mum adjecit, ſicut moſcho, aliisq; od[...] ribus Coſmetica ſua Itali imbuunt.

Columella, æqvalis *Celſi*, de cu[...] Hortorum Librum Decimum de Re R[...] ſtica ſupplevit

Siderei vatis referens præcepta M[...] ronis.

Palladius elegiacis opus Agricola[...] libro XIV. abſolvit de inſitione arb[...] rum, nempe vitis, olivæ, pyri, mali p[...] nici, pomi, perſici, mali cydonii, meſp[...] li, mali citrii, prunorum, ſiliqvarum, f[...] cus, mori, ſorborum, ceraſi, amygdal[...] piſtaciorum, caſtaneæ, & deniq; nucis.

Macer hic locum meretur, qva[...] qvam ætas ejus ferè ignota, ſuſpectus[...] ſit qvi vulgo cicumfertur, unde *Pſeud[...] Macrum* aliqvi vocant. Plerumq; macr[...] ſtilo eſſe Macrum jocatur *Georg. Eber[...] Schreinerus* Not. ad Theodor. Mec[...] Tres Macros fuiſſe conſtat, qvorum pri[...] mus vixit tempore *Naſonis*, ſecundu[...] *Plinii*, tertius incerto ſeculo. *Henricu[...] Rantzovius* Vir illuſtris, Plinianum il[...] lum Macrum operis, qvod de Virtutibu[...]

Hen[...]

Herbarum inſcribitur, fuiſſe autorem
judicat. Æmilium eſſe Veronenſem, Naſonis æqvalem, olim non dubitavi, qvippe humilem hunc vocat *Qvintilianus* l. 10. Inſt. Or. c. 1. elegantem in ſua materia, non phraſi. Qvod optimè noſtro convenit. Neq; enim omnes Poëtæ aurei ſeculi, majeſtate carminis cum *Virgilio* & facilitate cum *Naſone* comparari potuerunt; ſicut nec omnes Oratores *Tullii* eloqventiam, licet in eodem foro & tempore, aſſeqvuti ſunt. Scripta qvædam ejus perierunt. Nempe de Avibus ſeu Ornithogonia, pro qva perperam apud *Nonium* Theogonia legitur, judice *Ger. Voſſio* l. de Art. Poët. Nat. 6. §. 4. item de Serpentibus, ſive Ophiogonia. Supereſt de Herbis, illarumq; virtutibus Liber Unus, qvi mortalitatem effugit. Hæc opera *Ovidius* agnovit pro legitimis l. 4. Triſt. Eleg. 10.

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Qvæq; nocet ſerpens, qvæ juvat herba Macer.

Meminit & illorum *Manilius*, qvan-

qvam non nominato autore, qvasi à c
versis essent conscripta. Judicat tam
rectè *Joseph. Scaliger* in Not. tange
hæc Macri opera. Ita verò *Manilius*
2. Astron.

Ecce alius pictas volucres, & bella f
rarum,
Ille venenatos angveis, hic nata pe
herbas
Fata refert, vitamq; sua radice f
rentes.

Testatur *Plinius* l. 1. in Elench. ca
se libro IX. de Piscibus ex Macro Æm
lio qvædam hausisse. Qvis *Macer* ill
Licinius Historicus fuerit, de qvo *M*
crobius l. 1. Saturn. c. 10. 13. nobis late
De alio vetus in Insubribus lapis:

M. SENTIUS
L. FOVF
MACER
VETERA-
NUS LEGIO-
NIS IIII
SCYTICÆ
SIBI ET
FRATRI
V.F.

Ma

Macer ille, ad qvem ſcribit *Martialis* 10. Ep. 17. carmina amaſſe videtur. …lium *Macri* librum de Medicamentis …otius corporis humani ex ſua Bibliothe…a in publicam lucem protraxit Heros ad …romovendas literas natus *Henr. Rant-*…*ovius*, qvem ſecundum fecit. Iſtum …men *Macro* abjudicarim, *Naſonii* igno-…om. Suſpectum qvoq; ipſe reddidit *…antzovius* in Præf. qvod aliqvot verſus …eoninos ac lima indigentes in eo inve-…antur. Nec olim aliud *Macri* ſcri-…um præter Herbarum librum in uſu …iſſe, verſ9 in *Catonis* diſtichis, qvicunq; …emum autor ſit, indicare videtur Lib. 2.:

-- *ſi mage noſſe laboras*
Herbarum vires, Macer has tibi car-
mine dicet.

Qvanqvam verò *Catonis* nomen huic …æfixerit author propter gravitatem …ntentiarum *Catone* dignam, nec ad æ-…tem *Catonis* extendi poſſit, attamen …alentiniani Imperatoris ſeculo innotu-…, ſicut ex Epiſtola *Vindiciani* Comitis …rchiatrorum eſt manifeſtum, adeò ut …mporibus Commodi aut Severi recen-

tiorem autorem, non credat *Jof. Scaliger*. Certum eft *Catonem* hunc perfonatum nudius tertius natum non effe, qvam neq; *Aufonius* fit nec *Baptifta P*... *us*. Ignotus & illi & *Nafoni* & *Manilio* ... Secundus *Macri* liber, qvi autorem ... nofcit *Q. Serenum Sammonicum*, qvo... miror Illuftri *Rantzovio* à Viris Doct... indicatum non fuiffe, qvi hactenus n... effe publicatum falsò ipfi perfvaferam. Idem judicium efto de Tribus Medici... næ libellis, qvos Macri nomine circum... ferri in Notis fuis ad Catonem mon... Germanorum Maro *Martinus Opitiu*... Tertius *Strabi Galli* eft. Errat & *Joh. N*... *ander* in Syntagm. de Med. Natalit. ... 76. qvod de Herbarum virtutibus *Mac*... carmine elegiaco fcripferit. Heroicum enim carmen ubiq; amat. *Rantzov*... tamen libentius poftea acceffi de *Plin*... ætate, vel certè fufpicor *Plinio* effe p... fteriorem, qvia & *Plinii* & *Oribafii* ... *Galeni* &c. fæpius meminit, nifi hæc ... aliis interpolata dicamus. Qvicqvid ... membranas Macri manu antiqva exa... tas dono *Lucæ Holftenii* poffideo, à ...

Rh...

Rhodio apud me inspectas & in Scribonii Notis seu Lexico citatas. Alios duos Codices Mstos contuli, unum Patavii apud Comitem *Jacobum Zabarellam*, qvod *Rhodio* qvoq; visum, alterum Basileæ in publica Bibliotheca. Prima omnium editio, qvæ cum Msto pari authoritate certat, à *Georgio Pictorio* promulgata in nonnullis à Msto Codice Rantzoviano, qvem apud D. *Ebelingium* Medicum Roëschildensem, pervolvi, differt, sicut id qvoq; in margine editionis Rantzovianæ adnotatum. Cum Commentariis *Guilielmi Gueroaldi* extat antiqvo charactere & figuris illustratus, sed sine die & Consule.

Strabus Gallus, si is est, qvem laudat *Macer* c. 44. posteriorem locum occupare non debet, qvi Hortulum composuit carmine facili & Heroico. Posterior tamen multo est, qvia Abbati Grimaldo Hortulum suum dedicavit, ut verus ille Macer ejus mentionem facere non potuerit. Piè & Christianè Hortum claudit:

Hoc Pater, hoc natus, hoc Spiritus annuat almus.

Notandum eſt, qvod de Pulejo, ſic Pulegio ſcribit, apud Indos tanti conſtare, qvanti apud Gallos piperis nigri congeriem, propter inſignem vim laborem leniendi. Patriæ bona ille peregrinis Indorum medicamentis rectè prætulit. Tractat idem argumentum *Symphorianus Campegius*, in Hortulo Gallico dicens, in Gallia omnium ægritudinum reperiri remedia inqvilina, nec medicaminibus peregrinis Gallos egere. De Batavia ſua idem probavit *Jo. Beverovicius*, nosq; pro patria noſtra, in Medicina Danorum domeſtica, tentavimus. Utinam auſpicatò. In Mſtò Codice *Rantzovii*, qvem à laudato *Ebelingio* habui, hic liber de *Herbis Terræ* dictus, nomen præfert *Walfridi*. In meis membranis Mſtis, qvas ex Italia mecum attuli, nullus autor præfigitur. Nitida illæ manu exaratæ, ab editis Argentorati 1530. hinc inde nonnihil diſſentiunt. C. de Cucurbita, *& frondes* legunt, *effrondens*. Ib *Et qvoniam*, leg. & *qvando Ranz.* & *qvomodo*. Ib. *mymphure*, leg. *manſure*, *Rantzov. manſure*, ubi & in margine qvid ſit

fit *manfor* explicatur, nempe lorum tornatoribus aptum, fed hic pro ipfo ferro ponitur. Ib. *abditur alvo*, leg. *additur alvo*. C. de Marrubio, *preffat*, leg. *Rantz. pulfat*. C. de Glad. *rigeant*, leg. *Rantz. Rugiunt*. C. de Lilio. *laxis*, leg. *lufis*. Ex qvo *Rhod.* in Lex. fcrib. format *luxis*, ut ad *luxa membra* referatur, feu luxata, qvibus lilium confert ex *Diofcoride* l. 3. c. 116. C. de Apio *folido* leg. *folo*. ib. *notarent*, leg. *putarint*.

Ita qvoq; Rantzovianus. C. de Beton. *totum fi injuria*, leg. *totam qvæ injuria*. C. de Agrim. *& pota*, leg. *epota*. ib. *tonfa*, leg *tufa*. Rantz. tunfa. C. de Ambrof. *Hanc utcunq;*, leg. *Nam utrumq;*. C. de Nepet. *pergratum* leg. *prægratã*. Rantz. *prædulcem*. C. de Rofa, *tereretur*, leg. terreret. ib. *hic oleum*, leg. *hæc ol.* ib. *fæpe fiat*, leg. *fæpe fuit*. ib. *Triverit*, leg. *tenuerit*. ib. *Flagrat*, leg. *Fragrat*. ib. *eat*, *fateor*, leg. *fœtor*. C. ult. *confeptu viridis*, leg. *confepto vilis*. ib. *Super opacatas*, leg. *Subter appacatas*. ib. *germine*, leg. *vertice*. ib. *poma*, leg. *mala*. ib. *interq;*, leg. *utinamq;*. ib. *contingere*, leg. *comprendere*.

Minutias linqvo, qvanqvam inter h
ſint qvæ Autorem & illuſtrent, & obſc
rent.

Q. Serenus Samonicus, Celſi ferè
plerisq; Codicibus editisq́; libris com
individuus. De qvo nihil dicam, qv
in Commentariis ſuis uberrimis & No
Gabr. Humelbergius & *Rob. Keucheni*
omnem materiam mihi præripuerunt
Carmine Heroico præcepta ſaluberrim
plerisq́; humani corporis affectibus c
randis complexus eſt, in cunctis ex art
decore, niſi qvod ſuperſtitioſam m
dicinam ſubinde immiſceat ad more
ſeculi illius, qvo imperante Caracall
magicis carminibus & curationibus R
ma infecta fuit, & exemplo potius alic
rum qvam qvod revera crediderit ill
aliqvid fidei eſſe concedendum. Vulga
tus hemitritæo depellendo conus, *Abri*
cadabra, chartæ inſcriptus, plurimorum
obſervatione & eventu ſe probavit,
qvamvis rationem ignoremus. Vidi pro
fuiſſe in febribus, etiam ſine ſuperſtitio
ne collo appenſum, addito ſolo cornu
cervino, cujus appenſi tanta potentia

Con

onſtantino Cæſari Geopon. l. 16, c. 1. 3.
t nec boves nec eqvi poſſint ægrotare.
otandum in Codice qvodam Mſto à
he collato, legi Abracatabra, in meis
erò membranis Mſtis, Abracadrabra.
e carminibus his magicis non ita pri-
em egimus. De magica vero hac medi-
na per characteres, amuleta, carmina,
ide qvæ *Jo. Petr. Lotichius* Comm.
etr. l. 1 c. 16. congeſſit. Non meretur
amen *Serenus* exili hoc nævo proſcribi.
lurima enim inſperſit, vulgo nota &
ſitata, ne imperfectum opus ederet,
ut ignoraret ea qvæ lippis tum & tonſo-
ibus erant notiſſima. Varii ejus Codices
ſti paſſim extant, *Pariſienſis*, *Leiden-
s*, *Barberini*, *Goldaſti*, Pithœi, *Voſſii*,
antzovii, *Rivini*, *Keuchenii*, &c. noſq;
legantem habemus membranaceum.
nter reculas qvoq; meas ſervo *Lectiones
arias* ex variis inter ſe collatis excer-
tas. Non pauca in hoc auctore poſt *Cæ-
areum* & *Molineum* emendavit *Rob.
onſtantinus*, in *Rovillii* Celſi edictione,
qvædam ex *Sereno* delibavit *Petrus Pi-
hœus* Adverſ. Subſ. L. 1. c. 19.

Q. Rhemnius Fannius Palæmon, ai *Remus Favinus*, de Ponderibus & Mensuris Medicinalibus Libellum mancu & cauda truncatum procudit, multis cis Rei Medicæ afferentem. Hunc illi strabit *Jo. Rhodii* nostri de hoc argumento Dissertatio, qvam cum *Celso* dabim in lucem. Ultimum caput, de inventi one argenti auro in una massa permisti Archimedis invento, curiosum mag qvàm Medicum, ex *Vitruvio* l. 9. Architect. c. 3. facem mutuatur. Sunt q *Prisciano* hoc carmen attribuant. Sed ne scii ipsi sunt, an Cæsariensis ille fuerit an *Theodorus Priscianus*, cujus librum Medicum manibus ve samus.

Vindicianus Archiatrorum Comes Valentiniani Senioris ævo, Clarissim Poëtæ famam obtinuit, qvi se à *Juli Ausonio*, Magni *Ausonii* Poëtæ Patre Medico plurimum adjutum in re Medica fatetur. Tribuitur illi Carmen non inelegans,

Qvod natum Phœbus *docuit, qvod*
Chiron Achillem,
Qvod didicere olim Podalirius *atq;*
Machaon &c. Qvod

Qvod tamen *Sereni peroratio* finisq;
us Poëmatis videtur *Rob. Constantino.*
xscripsit verò hunc *Marcellus* Vir Ill.
: Magistro Officior. Theodosii Senio-
s, cui eapropter ab aliis tribuitur. Vir
it magnæ authoritatis in Re Medica
o tempore, & Medicus magnus voca-
r à *D. Augustino*, qvi Epist. V. ad Mar-
ellinum de eo historiam affert, qvam
peræ precium est repetere. Consultum
indicianus à qvodam, qvod in tempo-
: congruere videbatur, dolori ejus ad-
buit, unde sanitas consecuta est. De-
de post annos aliqvot eadem rursus
rporis causa commotus, hoc idem ille
utavit adhibendum. Adhibitum vertit
pejus. Miratus currit ad Medicum,
dicat factum. At ille, ut erat acerri-
us ita respondit: ideò malè acceptus
s, qvia ego non jussi: ut omnes qvi au-
issent, parumq; hominem nossent, non
um arte medicinali fidere, sed nescio
va illicita potentia putarent. Unde
um esset à qvibusdam postea stupenti-
us interrogatus, aperuit qvod non in-
ellexerant, videlicet illi ætati jam non
hoc

hoc se fuisse jussurum. Rectè id & prudenter Medicus fecit. Sed cur in febri cum alvi adstrictione clysteres aversatus sit idem, ut in *Epistola* ad Valentinianum Imperatorem testatur, non perspicio. Pudoris & reverentiæ modum prætendit, prospiciens simul, ne veluti turpis cura forti Viro adplicaretur. Ad temperandam verò viscerum siccitatem, illico infuso sale aqvam frigidissimam obtulit: qva non solum sudor largissimus, qvasi Nili ex corpore ejus effluentis, secutus: sed ventris desiderio urgente, alvi onus omne, qvo gravabatur, deposuit. Id qvoq; non sine ratione, sicut expositis causis, in *Epistola* laudata fusius ipse demonstrat.

Magnum Ausonium Poëtam Burdigallensem inter Medicos qvidam recensent. Qvos rectè *Petrus Crinitus* l. 5. de Poët. Lat. c. 87. & *Joseph. Scaliger* Lect. Auson. l. 2. c. 33. erroris convincit. Qvippe Pater ejus *Julius Ausonius*, Illyrici Præfectus, Valentiniani Senioris Archiater fuit, qvi de Re Medica libros reliqvit à *Vindiciano* lectos. Non tamen

re-

rum Medicarum imperitus fuit *Ma-nus*, qvibus hinc inde verſus ſuos exornavit. Unde Eunomum Medicum imperitum ſalſè irridet Epigr. 74. Piſces Moſellæ graphicè deſcripſit Edyll. 10. De membris humani corporis Edyllium 2. extat ex monoſyllabis in fine poſitis, inter qvæ

Palpitat irreqvies, vegetum teres, acre, calens, cor.

In ovo paſſeris marini ſeu ſtrutiocameli coqvendo qvæ Epiſt. XI. Paulino exprobrat, non accedo Magno *Joſ. Scaligero* qvi l. 2. Auſ. lect. c. 7. famem exinde indici Paullino in fundo ſuo Crebenno manenti judicat, eo qvod nulla ſvavitas in ovis Strutiocameli, qvæ pro ornamentis aut ἀντὶ κειμηλίων ſuſpenduntur. Neq; enim eſurire poterat Paullinus, qvamdiu ova paſſeris marini ſuppetebant, qvæ *Galenus* l. 3. Alim. Facult. inter alimenta numerat, cum anſerum ovis, qvanqvam deteriora ſint qvàm gallinarum ac phaſianarum. Igitur ruſticitatem qvaſi ipſi exprobrat, qvod duriori cibo contentus eſſe poſſit, cum ipſe Auſonius vinum

nun stomachi imbecilli hauriat. De dodrali potione Epigr. 85 86. nihil occurrit, qvia ipsi propria, nec usqvam alibi legitur, ut verè *Ludov. Nonnus* l. 4. de Re cibar. c. 18. Affinis illi forsan Potio mirabilis apud *Theodorum* Med. Diæt. c. 20.

Lactantius Firmianus unico titulo se ordini Medicorum Poëtarum adscribi patitur, qvod de *Phœnice* Elegiam condiderit Medicorum lectione dignam, qvanqvam Ethnici cujusdam hominis, non Lactantii esse credat *Bellarminus* de Scriptor. Ecclesiast. Fabulam esse nemo dubitat, sed cui secretior insit sensus. Nonnulli ad Chymica arcana torqvent.

Deusingius in Fascicul. Diss Select. mundum universum hieroglyphicè designari suspicatur. Typum esse resurrectionis piè credimus, qvo Patrum consensus conspirat. Qvanqvam dari talem Avem credere sit difficile, cum nusqvam à nautis universum orbem pervagantibus reperta sit hactenus. Qvod verò de Ave veteres finxerunt, nostrorum temporum Peregrinationes in terra invenerunt.

nt. In Japponia qvippe, & maximè insula Goto animal in sylva mari vicia fertur reperiri, cani non absimile aut lpi, nisi qvod pedes breviores habeat, jus cutis ob auri colorem & mollitiem lorum magno in pretio est, & caro decata, qvæ mensas opiperas instruit. Hoc imal terrestre totum est, natum in ter- & enutritum, prolemq; in terra edu-ns, donec ætate ingravescente vicium se morti sentiens, instinctu naturali onte se in mare præcipitat, ut rejuvescat in aqva sicut Phœnix in igne, ubi edetentim assumit formam piscis sapo- eodem grato qvo in terra fuerat. Relit id P. *Bernardinus Ginnarus* Soc. es. l. 1. del Saverio Orientale tom. 1. 13. edit. Neap. 1641. & ante eum P. *udovicus Dalmeida*, qvi viderat ipse icet de veritate dubitaret) Gotò à Re- ejus loci ipsi donatum, & partem ejus Europam misit ad societatem, ut caum inqvirerent. Veritatem qvoq; rei onfirmavit Bernardino *Josephus de Moura* Lusitanus, qvi inde redux id à se sum retulerat. Suspicor tamen Phocam

ma-

marinum esse, seu Syrenen, indeq; m
tam fabulam, si fabula dicenda. Phæn
cis verò historia sapit metempsychos
Pythagoricam, vel certè Chymicorum
opera confirmat, qva ex cineribus plan
tarum plantas resuscitant, qvod in ossi
bus humanis tentatum qvoq; accepi.

Marbodæus Gallus Cenomanensis
de gemmis brevia carmina pepigit,
materia non metri elegantia pretium na
ĉta. Scholiis *Alardi Amstelodami* nonni
hil lucis accepit.

Joannes de Mediolano Medicus Saler
nitanus, nomine Scholæ Salernitanæ A
C. 1100. carmine Leonino de conser
vanda valetudine bona librum, vel, u
alii legunt, Regimen Sanitatis, vel Flo
rem Medicinæ, à se compositum Rober
to Guilielmi Nothi Normanniæ Duci
filio, è Palæstina reduci & Regii Angliæ
sceptri proximo hæredi, dedicavit cum
consuleretur Schola universa de vulne
re Regis designati brachio dextro acce
pto in obsidione Hierosolymitana, qvo
in fistulam degeneraverat. *Arnoldus de*
Villanova Commentariis suis opus enar
rans;

ans, nomine *Scholæ Salernitanæ*, verò uthore diſſimulato, inſcripſit, ut narat *Jo. Georg. Schenck* in Bib. Med. Dotiores deinde non ita pridem Animaderſiones addidit *Renatus Moreau* Meicus Pariſienſis magnæ eruditionis, cuus auctior editio ex ſchedis Paternis exectatur à filio *Jo. Bapt. Moræo*, ſicut teis eſt *Paulus Colomeſius* in Collect. Gallic. Particular. p. 107. Verſibus Maaronicis Gallicis, qvos *Burleſqves* voant, nuper Pariſiis divulgavit *Jo. Cobart*, ſummo *Guidoni Patino* dedicas, qvorum verſuum *Patinus* ipſe Auor creditur.

Amavit iſtud ſeculum verſûs Leonios. Eodem genere rithmorum uſi alii, n qvibus plus laboris qvàm ingenii. Cocto enim genio ſcribuntur, qvale eſt Carmen hoc rithmicum de Alecis ſalſatiiribus, olim in Triclinio Arnoldi Ducis Geldriæ repertum.

Alec ſalſatum, craſſum, blancum, grave, latum,
Illud dorſatum, ſciſſum, per ventrificatum,

Huic caput ablatum, ſic pellibus excor-
atum,
Intus mundatum, crudum, vel in ig-
crematum,
Illi cœpe datum, per panem ruſtific-
tum,
Et ſic cœnatum, dum tranſis nocte c-
batum.
Hoc thyriacatum valet antidotum pr-
ciatum,
Quod parat optatum potamen largiſſ-
atum,
Dans de manè ratum guttur biben-
paratum,
Hauſtu proſtratum reparat, madida-
palatum,
Et caput & pectus deſiccat phlegma-
ſatum,
Dans urinatum, citò mox deinde ca-
tum,
Dirigit inflatum, cibum penetrat ve-
ratum,
Hoc medicinatum LAURENS fe-
verſificatum.

M. Hier. Vidas Cremonenſis Bo- bycum libris duobus docuit.

Qu-

Qvos mores, qvas aut parvis reptantibus artes
Juppiter addiderit, qvæ fila tenacia serum
Ore vomunt Saturæ &c.

Bapt. Fiera Mantuanus, ducentis ab-
nc annis Cœnam poëmate docto, in-
ruxit, ferculis ex plantarum genere de-
mptis ad illam Medicinæ partem illu-
randam qvæ in Victus ratione consistit.
aphaeli Reario inscripsit, nam in li-
ine libri, livorem & perfidiam Medi-
rum timet. Nuperis annis auctorem
riosum Patavii recognovit, Notisq;
uditis auxit *Carolus Avantius* Rhodi-
nus, herbariæ rei peritissimus.

Cum hoc Fiera ad seculum, qvod no-
um præcessit, devolvimur, eadem se-
& hoc, qvod terimus, inclusuri. Per-
bulabimus verò, peregrinantium in-
r, Europæ partes præcipuas, literarum
maniorum gloria illustres, donec ad
triam redeamus, ubi pedem figemus.
Italia.

Hieronymus Fracastorius Veronensis
put inter Medicos extulit, & præter

alia cedro dignissima scripta, de Morb Gallico seu Xiphilide libros tres Petr Bembo inscriptos heroicis versibus con cinnavit, qvi cum veterum majestate ce tare valent. Vitam hujus vide sis apu *Jo. Neandrum* Syntagm. de Med. Ori p. 164. Scripsit etiam de Cura Canu Venaticorum Heroico stilo, cujus titul est: *Alcon.*

Jo. Aurelius Augurellus Arimine Chrysopoeæ Libros Tres ad Leonem P. M. & Geronticon librum Unicum Petrum Lipomanum Venetum missi Basileæ prodierunt 1561. mox Antw piæ 1582. demum Tom. 3. Theatri C micorum 1613. & 1659. Argentorati.

Merlinus Cocajus Poëta Mantua in Macaronea XII. de Lapide Philo phorum, Luna, Venere, & Sole ali lusit.

Petrus Berigardus, Patruo *Clau Berigardo* Gallo natus, Patavii 16 Aphorismos Hippocratis Rhythm versu Latino, ut discentium mem consuleret, brevissimè absolvit.

Cæsar Zarottus Justinopolitanus

di

icus qvantum ingenio valeat, elegiacis
enetiis teſtatus eſt.

Holſtilius Contalgenus Academicus
patiſta Florentiæ 1651. publici juris
cit Inſtitutionum Anatomicarum Li-
ros Tres, ex Parentis meisq; Operibus
etro Etruſco comprehenſos, qvo no-
ine hic Viro curioſo publicè gratias
go.

Lux obnubilata ſuapte Natura reful-
ens, ſeu Vera de Lapide Philoſophico
heorica, metro Italico deſcripta, & ab
Autore innominato Commenti gratia
mpliata Venetiis prodiit 1666. Sere-
iſſimo FRIDERICO TERTIO Dan.
Norw. Regi ſubmiſſè inſcripta.

Plures alios carmine vel Medicos vel
edicas res proſecutos eſſe non dubito,
ihi tamen vel necdum viſos vel memo-
iâ elapſos, qvi eapropter ignoſcent,
vod tacitus eos venerer.

Ex Hiſpanis *Petrus Lopeſius* Aviſſen-
s Luſitanus mihi notus eſt, cujus Poëſis
hiloſophica in ſex libros digeſta de to-
idem rebus, qvas Phyſici non-Natura-

les vocant, Conimbricæ 1618. impress-
sa fuit carmine Heroico & Elegiaco.

In Gallia pluſculi hic ſe Viros præſti-
terunt. Eminet ut in Hiſtoria ita & Poë-
J. Aug Thuanus, cujus de Re Accipi-
traria Libri Tres verſu Heroico conſcri-
pti applauſum meruerunt. Media ibi-
dem propalat qvibus peſtes accipitrum
& vulnera, & ulcera ab Aucupe curari
poſſint.

Bartaſſium elegantem & eruditum in
Galliis Poëtam vocat *Ger. Voſſius* c. 6. de
Nat. Poët. §. 4. cujus etiam laudes per-
ſeqvitur *Jo. Benedictus* in Præf. Lucian.

In opere Gallico qvod Pariſiis 1561
produit, de la *Transformation Metalli-
que*, plurimorum autorum Jambi, ſe-
rithmi Gallici afferuntur magnæ & anti-
qvitatis & apud Chemicos authoritatis.
Nempe

1. La fontaine des amoureux de ſcien-
ce, Author J. de la Fontaine, compoſ.
1413.

2. Les Remonſtrances de Nature
l' Alchymiſte errant; avec la reſponſe
du dict Alchy. par J. de Meung. enſem-
ble

ple un traitè de son Romant de la Rosa, concernant le dict art.

3. Le Sommaire Philosophique de N. Flamel, qvi florissoit l'an 1393. & 1407.

Ræmundi Massaci Aurelianensis Medici Pugeæ, seu de Lymphis Pugæanis libri duo 1609. divulgati Parisiis versu Heroico, in Bibliotheca mea visuntur.

Jo. Benedictus Medicus in Acad. Salmuriensi, tam fuit in literis exercitatus, ut *Horatium* Græcè pari tum numero carminum, tum metro verterit, ob qvam versionem ab *Isaaco Casaubono* commendatus *Philippo Mornæo* Plessiaci Domino, cathedram Salmuriensem obtinuit. Vide ejusdem in Lucianum Epistol. Dedicatoriam.

Tacendus non est *Carolus Sponius* Medicus Lugdunensis. Sibyllam ejus Medicam officina Lugdunensis 1661. dedit, *Guidoni Patino* Parisiensium Doctorum Clarissimo & Poëtæ acuto dicatam, qvæ *Hippocratis* Libellum Prognosticon Heroico poëmate latino exprimit,

Ejusdem *Patini* filius *Carolus Patinus* Parisiensis Medicus in stirpem Re-

giam Epigrammata ingeniosa cum Emblematibus condidit.

Ren. Rapini Soc. Jes. Hortorum Libri IV. laudati qvoq; in Ephemeridibus Eruditorum, omne punctum ferunt.

Gallicam Scholæ Salernitanæ versionem versibus Macaronicis redditam, suo loco adduxisse nos meminimus.

Ex Gallia si in Britanniam trajiciamus offerent se ingenia, ut in cæteris, ita in Poësi maxima. Non paucorum vena in Chemicis sacris describendis se effudit.

In Harmonia inperscrutabili Chymico Philosophica edita à D. *Heermanno Condeesyano*, seqventia opuscula continentur:

1. Liber Luminum Rasis Cestrensis Philosophi & Medici elegiaco carmine.

2. Rasis Cestrensis Lumen Luminum in expositione Compositionis Alchimiæ, carmine Heroico capitibus XII.

3. Laudabile Sanctum seu Tractatus duodecim aqvarum, qvæ perpetuæ & vivæ nuncupantur, conscriptus à *Merlino* Philosopho Anglo, carmine itidem heroico.

Il-

In Theatro Chemico Britannico ab *Elia Ashmole* Mercuriophilo Anglico edito Londin. 1652. cum Commentariis seqventes Chemici versu Anglico conscripti recensentur.

1. The Ordinall of Alchimy. *Thomas Norton* of Bristol. Capitibus septem constat cum figuris.

2. The Compound of Alchymie, *George Ripley* chanon of Bridlington.

3. Anonymus Liber Patris Sapientiæ.

4. *Hermes Bird.*

5. The Tale of The Chanons yeoman. *Geoffry Chaucer.* Hujus ibidem hoc Epitaphium legitur:

M. S.

Qui fuit Anglorum Vates ter maximus olim

Galfridus Chaucer conditur hoc tumulo.

Annum si qværas Domini, si tempora vitæ,

Ecce notæ subsunt, quæ tibi cuncta notant.

25. Oct. 1400.

Ærumnarum reqvies mors.

N. Brigham hos fecit Musarum nomine sumptus. 1556.

6. The Worke of *John Dastin*.

7. Pearce The *Black Monke* upon the Elixir.

8. The Worke of *Rich. Carpenter*.

9. The Hunting of the Greene Lyon. Written by the Vicar of Malden.

10. Breviary of Natural Philosophy, *Thomas Charnock* 1557. Ejusdem Ænigma de Alchimia 1572.

11. Bloomefields Blossons: or, the Campe of Philosophy.

12. Sir *Edward Kelles* Worke.

13. Testamentum *Joh. Dee* Philosophi summi ad Joh. Gwyn. 1568.

14. *Thomas Robinson* de Lapide Philosophorum.

15. Anonymi: Or, Severall Workes of unknowne Authors.

16 *John Gower* concerning the Philosophers Stone.

17. *George Ripley* verses Belonging to an Emblematicall Scrowle.

Item: The Mistery of Alchymistes. Ejusdem Medulla, & alia.

18. *John*

18. *John Lydgate* out of Ariſtotele Secreta Secretorum.

19. Anonymi alius Capita Sex.

20. The Hermets Tale.

21. Ænigma Philoſophicum D.D.W. Bedman.

22. Fragments Coppied From *Thomas* Charnocks. 1573.

Joſephus Devonius Iſcanus Anglus, qvi claruit A. C. 1210. de Characteribus Trojanorum & Græcorum verſus latinos dedit, qvos characteres *Iſaacus Porphyrogenites* olim Græcos ſcripſerat, editos cum verſione à *Jano Rutgerſio* l. 5. Var. Lect. c. 20.

Arturi Jonſtoni Medici Regii Parerga & Epigrammata, Muſas aulicas cum voluptate legimus. In Parergo primo Buchananum civem ſuum defendit contra Medicaſtrum Hypermorum: In Secundo contra onopordum furentem. Extant hæc in Tom. I. Delit. Poët. Scotorum hujus ævi.

Davidis Kynalochi Doct. Med. de Hominis Procreatione Heroicorum lib. 1. de Anatome & Morbis internis lib. 2.

operæ

operæ pretium erit Medico, & Poëtæ evolvisse.

Hinc ad Belgas digressi singularem in condendo carmine genium, svavemq; venam admirabimur. Audiantur tantum Medici, de qvibus hic loqvimur.

Balduini Ronssei Gandensis Venatio Medica gravi poëmate adornata perplacet.

Marci Neviani Gerardo Montani, de Qvalitatibus primis, secundis, tertiis & occultis, de Plantarum Viribus, de Curandis Morbis Poëmatia, à *Joh. Anton. van der Linden* l. 3. Script. Med. in catalogo Medicorũ Operum ponuntur.

Nicolai Biesii de Physica lib. 3. prosa & carmine laudantur à *Valerio Andrea* in Bib. Belg.

Gratulamur arti nostræ qvod *Caspar Barlæus*, seculi nostri Naso, Medicinæ Professionem carminibus suis, qvæ Libitinam effugerunt, illustraverit.

Petri Scriverii qvoq; grata est memoria, qvi in Saturnalibus suis de Usu & Abusu Tabaci solita sibi & Bilbilico amœnitate lusit.

Jaco-

Jacobus Catzius omne punctum in vernaculis rithmis tulit. Inter Medicos hic locus illi conceditur, qvia metra sua singulis capitibus *Jo.Beverovicii* de Thesauro sanitatis præfixit Materiam Medicam illustrantia, & cætera qvæ ad Diætam spectant.

Vicina Belgio Germania, Poëtarum Medicorum numero abundat.

Fr. Basilii Valentini versus Germanici circumferuntur de Mineralibus & Metallis.

Leonh. Thurneisseri Qvintæ Essentiæ libri XIII. magnifica sonant, uti & ejusdem Archidoxa l. 8. rithmica.

Magnesia, majora promere videtur. Sunt versus vernaculi de Lapide Philosophico *Joh. Bernhardi Hildebrand.*

Hadrianus à Mynsicht Testamentum suum, qvod Hadrianeum vocat, de Aureo Philosophorum Lapide, seu potius Vitriolo, posteritati non invidit.

In Diæta describenda felicius alii loculos suos excusserunt. Inter qvos caput efferens *Eobanus Hessus*, bonæ valetudinis conservandæ ex variis Medicorum messi-

messibus Præmetiûm decerpsit ad Georgium Strutiadem. Idem Medicinæ Encomium ex *Erasmo* versu facillimo elegiaco reddidit.

Victus qvoq; ratio & cultus per *Joachimum Camerarium* qvaternis in singulos menses versibus elegiacis, autore tanto dignis, expositus est.

Petrum Lotichium Secundum, ejusq; Nepotem *Joh. Petr. Lotichium*, qvid memorem? Medica & Poëtica arte illustres Viros. De qvibus ita *Daniel Paræus* Philip. fil. cecinit:

Lotichiis meritò palmam tribuere Camænæ,
Seu Medicæ spectes, sive Melicæ artis opus.

Henrici Smetii, Johannis Posthii, nota cunctis in Re Medica & Poësi fama, ut alios non paucos taceam.

Παντοπώλιον, Qvadrupedum, Avium, Piscium, Radicum &c. Naturas carmine elegiaco *D. Georgius Pictorius* olim concinnavit.

Jani Cunr. R*humelii* Epigrammata de Animalibus, Avibus & Piscibus Noriberga procudit.

Medi-

Medicinæ gloria per Satyras XXII. afferta à *Jacobo Balde* Soc. Jeſu, reperitur in Parnaſſo Poëtico Soc. Jeſu.

Altius aſſurgunt in eadem Germania *Meibomii* Pater & Filius, qvorum ille *Jo. Henr. Meibomius* præter Jusjurandum & Mæcenatem, nobis Vitas Medicorum illuſtrium promiſit, qvod à Filio ſuperſtite *Henrico Meibomio* Helmſtadenſis Academiæ Profeſſore clariſſimo expectamus, cujus etiam hoc loco nomen acclamare debui, qvia in bicipiti Parnaſſo felicius Patre, Avi exemplo ſomniavit, ſicut edita Poëmata magnifica teſtantur, inprimis qvæ ad Auguſtum Ducem Brunſvicenſem Senem, cujus valetudini cum *Conerdingio* præfuit, non ſemel miſit.

Floret etiamnunc *Michaelis Kirſtenii* Moravi penna & lacertos movet ſive in foro Medico, ſive Aſtronomico Muſas ſollicitet. Servat Theatrum noſtrum Anatomicum Epigrammata nervoſa in perpetuam Kirſteniani nominis memoriam, qvæ alibi non ſemel legenda exhibuimus.

Johan-

Johannes Conr. Brotbeqvius Medicu[s] Tubingensis Hymettum sacrum, siv[e] Epigrammata sacra nuper genio favent[e] in publicum emisit.

Georgius Hieron. Welschius, Augusta[] norum novum sidus, in *Alexandri Gatt[i]* poëmate de Venatu Damarum ver[] tendo authorem metri facilitate longissi[] mè superavit, ut alias Viri ad Medicina[e] laudem nati dotes silentio transmittam.

In Borussia *Joachimi Pastorii* Med. D[.] & Professoris in Gedanensi Gymnasi[o] Honorarii fama meritis respondet. Syl[] varum Pars Prima, Heroës sacri, Peplu[m] Sarmaticus, Mula peregrinans & ali[a] non pauca inter præcipua Heliconis or[] namenta afferunt.

Non deniq; illaudatam operam hu[c] contulerunt patriæ nostræ ingenia, e[x] qvo Medica Ars in precio esse apud no[] stros cœpit. Nihil loqvar de Carmini[] bus Magicis Septentrionalium Populo[] rum, qvibus morbi creduntur induci ve[l] extirpari. Vernacula hæc illis linqva[] mus, ut sermo de Doctis feliciori omin[e] succedat, qvanqvam negari non possi[t]

vete[]

eteres Scaldros nostros palmam in carminibus præripuisse aliis, de qvibus legendus *Olaus Wormius* in Dissertat. de Prisc. Dan. Poësi in Apendic. Literat. Runic.

Johannes Francisci Medicinam in Academia Hafniensi Professus Librum Carminum ad FRIDERICUM II. Regem Daniæ edidit Lugduni apud Gryphios 1561. & de Oculorum Fabrica Carmen.

Johannes Pratensis in eadem cathedra Doctor dignissimus, intima familiaritate *Petro Severino* Dano Chymico clarissimo junctus; ejusdem honori de Chymia Poëma, qvod in calce Ideæ Philosophicæ *P. Severini* legitur, consecravit. Extat & ejusdem aliud Carmen gratulatorium, ti & Ecloga Daphnis.

Andreas Lemvicus ejusdem Academiæ Medicus, qvantum cum Musis commercium aluerit, testatus est Carmine Hafniæ impresso 1564. de exitio Navis sine Pari, nostris Mageløes dictæ.

Andreæ Kragii Doctoris Academici, qvem malè *Horningus* in Cista Medica, & ab eo seductus *Jo. Ant. Lindanus* in l. de Script. Med. *Krugium* vocat, Resolutio Ramea Horatii de Arte Poëtica, qvæ Basileæ 1586. in lucem prodiit, ingenium Viri & eruditionem prodit.

Casparus Bartholinus Parens noster beatus, in tanta variarum scientiarum amplitudine, singulari semper propensione ad Poësin ferebatur, qva vel amicis gratificandum sibi putavit, vel

ſeria negotia gratâ condivit varietate. Ingem
tem ſatis Faſciculum Carminum variis in loc
publicatorum collegit *Chriſtianus Tidſtadius*, Pœ
eta non infimi ſpiritus, Hafniæ typis ſubjectum
1621. eademq; opera ex authoris diſperſis char
tis Epigrammata extemporanea, qvæ juveni
inter peregrinandum fudit, in ſeptem claſſe
diſtribuit. 1. Continet ſacra, Eccleſiaſtica. 2. E
thica, Politica, Oeconomica, Juridica, Poëtic
3. Phyſica, Metaphyſica, Medica, Chymic
4. Mathematica, Aſtronomica, Coſmographi
ca, Nautica, Bellica, Apodemica, Hiſtoric
5. Mixta. 6 Amatoria. 7. Ludicra. Unum a
terumve ex Tertia Claſſe producam, ut ex u
gve Leonem cognoſcas. In Medicos,

Cum malè nullus habet, malè habet Podalirius omni
Atqve dolet, qvando nemo dolere poteſt.

Alluſit ad illud *Stobæi* ſerm. 100. ex Philemon

- - κακῶς ἔχει
ἅπας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ.

id eſt:

Res miſera Medicus eſt, cui nunqvam benè eſt;
Niſi malè ſit qvam plurimis.

De partibus corporis alibi.

Vult acidum ſtomachus, pulmo dulce, hepar amari
Eſſe poteſt conjunx hæc medicina triplex.

Jacobus Fabricius Archiater Sereniſſ. Dan. R
gum, Poëta Laur. Cæſareus, periculum Mell
cum ſeu Juvenilium Fœturas priores Hallæ Sa
1600. prodire paſſus eſt, plurimis domi apu

Gene

Generum D. *Simonem Paulli*, illius in Aula Re-gia Successorem, in scriniis relictis Poëmatis, qvæ Vir Magnus inter Artis impedimenta gra-vi, more suo, sensu procudit.

Major fuit *Joannis Laurenbergii* Professoris So-rani in Parnasso authoritas, qvam credi possit. Satyris elegantissimis utraq; lingvâ latinâ & ver-naculâ seculi nostri mores perstrinxit, qvæ ex officina Sorana prodierunt. Tantumq; in Græ-ca literatura excelluit, ut non rarò carmina ex calamo ejus profluxerint, qvæ Heroicis Home-ri temporibus digna judicavit magnus in hoc ge-nere Censor *Daniel Heinsius*.

Joannes Rhodius nostras ad hanc classem perti-net, qvem vidi inter pectinandum carmina ad amicos gratulatoria suo & aliorum nomine de-properasse. Justæ magnitudinis volumen ex editis & scriptis consilio *Naudæi* amici congessit, qvod tamen post fata, cum reculæ in patriam veherentur, dispersum fuit. Qvædam tanqvam naufraga frusta ad me pervenerunt, ex qvibus unicum signabo, qvod inter extrema fuit, in Sceleton eburneum Augustissimi Regis, FRI-DERICI TERTII Domini nostri Clementis-simi:

Corporis humani sunt hæc sine carnibus ossa:
Æmula naturæ dextera vicit opus.
Adde simul nervos: compages nexa movetur,
Et supplex Regis procidit ante genu.

In cæteris plurimum sangvinis atq; nervorum invenias.

 Olaus

Olaus Borrichius Medicus Regius & Academicus, ſecundas in Poëmate partes jure & eruditi orbis confeſſione occupavit, ne primas dicam. Penetraſſe eum in Artis Poëticæ arcana Parnaſſus in nuce editus fidem facit, in quo Smetii, Gloneri, Riccioli, Cavalli aliorumq; industriam accuratè ſuperavit. Auguſto deinde Poëmate Auguſtiſſimo Regi FRIDERICO III publico Academiæ nomine gratulatus eſt, & in Laboratorio Burrhiano deſcribendo, oculorumq; operatione decantanda, firmam facilitatem oſtendit.

Jacobus Henricus Paulli Sim. Fil. Patre & utroqve Avo Medico natus, primùm Anatomicæ cathedræ, poſtdein Hiſtoricæ deſtinatus, varia carmina in honorem Amicorum, & Epigrammatum promiſcuorum Libellum publico dedit, nitidum & comptum. In Panegyricis aliis Auguſtiſſimis Principibus dicatis Heroici carminis numeros materiæ rerumq; gravitati accommodavit.

Plures alios Medicos hodieq; veneramur: *Oſtenfeldios, Moinichenios, Wormios, Foſſios*, natos Poëtas & factos, qvi tamen modeſtia vel occupationibus neceſſariis, intra laudem paucorum epigrammatum ſe continent, qvam publicam facillimo carmine & arguto merentur. Nollem ſilentio præterire alios in patria Poëtas, qvi vernaculo rythmo nonnullas medicinæ partes in vulgi gratiam aggreſſi ſunt, de hepate, anſe-

re

re, tabaco &c. nisi ipsi se nominare non voluissent. Postremum tamen de pulvere Tabaci Poëma ingeniosum ideo posteritati commendo, qvod authorem habeat *Carolum van Mander* Arte Poëtica & Apellis inter primos æstimandum, qvippe qui, ut olim Zeuxis, pingit æternitati.

Me qvod spectat, qvanqvam nec arte, nec ingenio deficiar, majorum virtutes gravitate aut facilitate haud æqvans, optimos tamen seqvi semper assvevi, cum reliqvis paria facere, ut vel ex me constare possit, qvanto sit aliud primum esse, aliud secundum. Medica arte alios juvare, ipsum me, ocii tædio, didici oblectare epigrammate:

Sunt bona, sunt qvædam mediocria, sunt mala plura,
Qvæ legis; hic aliter non fit, amice, liber.

INDEX
EORUM
qvorum mentio fit
in Dissertatione
TH. BARTHOLINI
de Medicis Poëtis
id est
qvi Poëtæ Medica
aut
qvi Medica Poëticè ſeu metricè tractarunt.

A.

B.

Her-

Joh.

Hen-

ER-

ERRATA
qvæ Autoris abſentiâ
irrepſerunt
ita corriguntor:

Pag. 8. *lin. antepenult. leg.* fabuloſo. 11, 9. Anazarbæo. 17, 1. Columella. 9. pſora. 22, 3. ſuco 25, 23. omina. 26, 17. omina. 30, *ult.* tum. Seqvitur: 32, 3. veris. 35. 14. Pulmonum. 42, *ult.* facit. 80, 6. ſubjecto. 111, 12. poteſt. 121, *antepen.* editione. 122, 4. multum. 123, 10. conſultus. 130, *ult.* dele punctum. 131, *antep.* dele punctum.

Monemus, in nonnullis exemplarib. mendas aliqvot jam eſſe emendatas.

FINIS.



